

Gesta Francorum

sive

Itinerarium

Hierosolimitanorum

Liber I

[i] Cum iam appropinquasset ille terminus quem dominus Iesus cotidie suis demonstrat fidelibus, specialiter in euangelio dicens: "Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me" facta est igitur motio ualida per uniuersas Galliarum regiones, ut si aliquis Deum studiose puroque corde et mente sequi desideraret, atque post ipsum crucem fideliter baiulare uellet, non pigritaretur Sancti Sepulchri uiam celerius arripere. Apostolicus namque Romanae sedis ultra montanas partes quantocius profectus est cum suis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, et presbiteris, coepitque subtiliter sermocinari et predicare, dicens, ut si quis animam suam saluam facere uellet, non dubitaret humiliter uiam incipere Domini, ac si denariorum ei decesset copia, diuina ei satis daret misericordia. Ait namque dominus apostolicus 'Fratres, uos oportet multa pati pro nomine Christi, uidelicet miserias, paupertates, nuditates, persecutioes, egestates, infirmitates, fames, sites et alia huiusmodi, sicuti Dominus ait suis discipulis: "Oportet uos pati multa pro nomine meo", et: "Nolite erubescere loqui ante facies hominum; ego uero dabo uobis os et eloquium", ac deinceps: "Persequetur uos larga retributio". Cumque iam hic sermo paulatim per uniuersas regiones ac Galliarum patrias coepisset crebrescere, Franci audientes talia protinus in dextra crucem suere scapula, dicentes sese Christi unanimiter sequi uestigia, quibus de manu erant redempti tartarea. Iamiamque Galliae suis remotae sunt domibus.

[ii] Fecerunt denique Galli tres partes. Vna pars Francorum in Hungariae intravit regionem, scilicet Petrus Heremita, et dux Godefridus, et Balduinus frater eius, et Balduinus comes de Monte. Isti potentissimi milites et alii plures quos ignoro uenerunt per uiam quam iamdudum Karolus Magnus mirificus rex Franciae aptari fecit usque Constantinopolim.

Petrus uero supradictus primus uenit Constantinopolim in kalendis Augusti et cum eo maxima gens Alamannorum. Illic inuenit Lombardos et Longobardos et alios plures congregatos, quibus imperator iusserat dari mercatum, sicuti erat in ciuitate, dixitque illis 'Nolite transmeare Brachium, donec ueniat maxima Christianorum uirtus, quoniam uos tanti non estis, ut cum Turcis preliari ualeatis. Ipsique Christiani nequiter deducebant se, quia palatia urbis sternebant et ardebant, et auferebant plumbeum quo ecclesiae erant coopertae et uendebant Grecis. Vnde imperator iratus est iussitque eos transmeare Brachium. Postquam transfretauerunt, non cessabant agere omnia mala, comburentes et deuastantes domos et ecclesias. Tandem peruererunt Nicomediam, ubi diuisi sunt Lombardi et Longobardi, et Alamanni a Francis, quia Franci tumebant superbia. Elegerunt Lombardi et Longobardi seniorem super se, cui nomen Rainoldus, Alamanni similiter. Et intrauerunt in Romaniam et per quatuor dies ierunt ultra Nicenam urbem inueneruntque quoddam castrum cui nomen Exerogorgo, quod erat uacuum gente. Et apprehenderunt illud, in qua inuenerunt satis frumenti et uini et carnis, et omnium bonorum abundantiam. Audientes itaque Turci quod Christiani essent in castro, uenerunt obsidere illud. Ante portam castri erat puteus, et ad pedem castri fons uiuus, iuxta quem exiit Rainaldus insidiari Turcos. Venientes uero Turci in festo sancti Michahelis, inuenerunt

Rainaldum et qui cum eo erant, occideruntque Turci multos ex eis. Alii fugerunt in castrum. Quod confessim Turci obsederunt, eisque aquam abstulerunt. Fueruntque nostri in tanta afflictione sitis, ut flebotomarent suos equos et asinos, quorum sanguinem bibeant. Alii mittebant zonas atque panniculos in piscinam, et inde exprimebant aquam in os suum. Alii mingebant in pugillo alterius, et bibeant. Alii fodiebant humidam terram, et supinabant se, terramque sternebant super pectora sua, pro nimia ariditate sitis. Episcopi uero et presbiteri confortabant nostros et commonebant ne deficerent. Haec tribulatio fuit per octo dies. Denique dominus Alamannorum concordatus est cum Turcis, ut traderet socios illis, et fingens se exire ad bellum, fugit ad illos et multi cum eo. Illi autem qui Deum negare noluerunt, capitalem sententiam susceperunt. Alios quos ceperunt uiuos adinuicem diuiserunt quasi oves. Alios miserunt ad signum et sagittabant eos; alios uendebant et donabant quasi animalia. Quidam conducebant suos in domum suam, alios in Corosanum, alios in Antiochiam, alios in Aleph, aut ubi ipsi manebant. Isti primo felix acceperunt martirium pro nomine Domini Iesu.

Audientes denique Turci quod Petrus Heremita et Guualterius Sinehabere fuissent in Cyuito, quae supra Nicenam urbem est, uenerunt illuc cum magno gaudio ut occiderent illos et eos qui cum ipsis erant. Cumque uenissent obuiauerunt Guualterio cum suis, quos Turci mox occiderunt. Petrus uero Heremita paulo ante ierat Constantinopolim, eo quod nequibat refrenare illam diuersam gentem, quae nec illum nec uerba eius audire uolebat. Irruentes uero Turci super eos occiderunt multos ex eis; alios inuenerunt dormientes, alios nudos, quos onmes necauerunt, cum quibus quemdam sacerdotem inuenerunt missam celebrantem, quem statim super altare martirizauerunt. Illi uero qui euadere potuerunt Cyuito fugerunt; alii precipitabant se in mare, alii latebant in siluis et montanis. Turci uero persequentes illos in castrum adunauerunt ligna, ut eos comburerent cum castro. Christiani igitur qui in castro erant miserunt ignem in ligna congregata, et uersus ignis in Turcos quosdam eorum concremavit, sed ab illo incendio Deus nostros tunc liberauit. Tandem Turci apprehenderunt illos uiuos, diuiseruntque illos sicut prius fecerant alios, et disperserunt illos per uniuersas regiones has, alios in Corosanum, alios in Persidem. Hoc totum est factum in mense Octobri. Audiens imperator quod Turci sic dissipassent nostros, gausus est ualde, et mandauit fecitque eos Brachium transmeare. Postquam ultra fuerunt, comparauit omnia arma eorum.

[iii] Secunda uero pars intrauit in Sclaviniae partes, scilicet comes de Sancto Egidio Raimundus et Podiensis episcopus. Tertia autem pars per antiquam Romae uiam uenit. In hac parte fuerunt Boamundus, et Richardus de Principatu, Rotbertus comes Flandrensis, Rotbertus Nortmannus, Hugo Magnus, Eurardus de Puisatio, Achardus de Monte Merlo, Isuardus de Musone, et alii plures. Deinde uenerunt ad portum Brandosim aut Barim siue Otrentum. Hugo denique Magnus et Willelmus Marchisi filius intrauerunt mare ad portum Bari, et transfretantes uenerunt Durachium. Audiens uero dux illius loci hos prudentissimos uiros illic esse applicatos, mox mala cogitatio cor eius tetigit, illosque apprehendit, ac iussit Constantinopolim imperatori caute duci, quo ei fidelitatem facerent.

Dux denique Godefridus primus omnium seniorum Constantinopolim uenit cum magno exercitu, duabus diebus ante Domini nostri Natale, et hospitatus est extra

urbem, donec iniquus imperator iussit eum hospitari in burgo urbis. Cumque fuisse hospitatus dux, secure mittebat armigeros suos per singulos dies, ut paleas et alia equis necessaria asportarent. Et cum putarent exire fiducialiter quo uellent, iniquus imperator Alexius imperauit Turcopolis et Pinzinacis inuadere illos et occidere. Balduinus itaque frater ducis haec audiens misit se in insidiis, tandemque inuenit eos occidentes gentem suam, eosque inuasit forti animo, ac Deo iuuante superauit eos. Et apprehendens sexaginta ex eis, partem occidit, partem duci fratri suo presentauit. Quod cum audisset imperator, ualde iratus est. Videns uero dux inde iratum imperatorem, exiit cum suis de burgo et hospitatus est extra urbem. Sero autem facto, infelix imperator iussit suis exercitibus inuadere ducem cum Christi gente. Quos dux persequens inuictus cum Christi militibus septem ex illis occidit, persequendo alios usque ad portam ciuitatis. Reuersusque dux ad sua tentoria mansit inibi per quinque dies, donec pactum init cum imperatore, dixitque illi imperator ut transfretaret Brachium sancti Georgii, permisitque eum habere omnem mercatum ibi sicut est Constantinopoli; et pauperibus elemosinam erogare, unde potuissent uiuere.

[iii] At bellipotens Boamundus qui erat in obsidione Malfi, Scafardi Pontis, audiens uenisse innumerabilem gentem Christianorum de Francia, ituram ad Domini Sepulchrum, et paratam ad prelum contra gentem paganorum, coepit diligenter inquirere quae arma pugnandi haec gens deferat, et quam ostensionem Christi in uia portet, uel quod signum in certamine sonet. Cui per ordinem haec dicta sunt: 'Deferunt arma ad bellum congrua, in dextra uel inter utrasque scapulas crucem Christi baiulant; sonum uero "Deus uult, Deus uult, Deus uult!" una uoce conclamat. Mox Sancto commotus Spiritu, iussit preciosissimum pallium quod apud se habebat incidi, totumque statim in cruces expendit. Coepit tunc ad eum uehementer concurrere maxima pars militum qui erant in obsidione illa, adeo ut Rogerius comes pene solus remanserit, reuersusque Siciliam dolebat et merebat quandoque gentem amittere suam. Denique reuersus iterum in terram suam dominus Boamundus diligenter honestauit sese ad incipiendum Sancti Sepulchri iter. Tandem transfretauit mare cum suo exercitu, et cum eo Tancredus Marchisi filius, et Richardus princeps, ac Rainulfus frater eius, et Rotbertus de Ansa, et Hermannus de Canni, et Rotbertus de Surda Valle, et Robertus filius Tostani, et Hunfredus filius Radulfi, et Ricardus filius comitis Rainulfi, et comes de Russignolo cum fratribus suis, et Boello Carnotensis, et Alberedus de Cagnano, et Hunfredus de Monte Scabioso. Hi omnes transfretauerunt ad Boamundi famulatum, et applicuerunt Bulgariae partibus; ubi inuenerunt nimiam abundantiam frumenti et uini et alimentorum corporis. Deinde descendentes in uallem de Andronopoli; expectauerunt gentem suam, donec omnes pariter transfretassent. Tunc Boamundus ordinauit concilium cum gente sua, confortans et monens omnes ut boni et humiles essent; et ne depredarentur terram istam quia Christianorum erat, et nemo acciperet nisi quod ei sufficeret ad edendum.

Tunc exeuntes inde, uenerunt per nimiam plenitudinem de uilla in uillam, de ciuitate in ciuitatem, de castello in castellum, quoisque peruenimus Castoriam; ibique Natiuitatem Domini solemniter celebrauimus; fuimusque ibi per plures dies, et quesiuimus mercatum, sed ipsi noluerunt nobis assentire, eo quod ualde timebant nos, non putantes nos esse peregrinos, sed uelle populari terram et occidere illos. Quapropter apprehendebamus boues, equos et asinos, et omnia quae inueniebamus.

Egressi de Castoria, intrauimus Palagoniam, in qua erat quoddam hereticorum castrum. Quod undique aggressi sumus, moxque nostro succubuit imperio. Accenso itaque igne, combussimus castrum cum habitatoribus suis. Postea peruenimus ad flumen Bardarum. Denique perrexit dominus Boamundus ultracum sua gente, sed non tota. Remansit enim ibi comes de Russignolo, cum fratribus suis. Venit exercitus imperatoris, et inuasit comitem cum fratribus suis, et omnes qui erant cum eis. Quod audiens Tancredus rediit retro, et projectus in flumen natando peruenit ad alios, et duo milia miserunt se in flumen sequendo Tancrenum. Tandem inuenerunt Turcopulos et Pinzinacos dimicantes cum nostris. Quos repente fortiter inuaserunt, et prudenter eos superauerunt. Et apprehenderunt plures ex illis, et duxerunt illos ligatos ante domini Boamundi presentiam. Quibus ait ipse, 'Quare miseri occiditis gentem Christi et meam? Ego cum uestro imperatore nullam altercationem habeo. Qui responderunt: 'Nos nequimus aliud agere. In roga imperatoris locati sumus, et quicquid nobis imperat nos oportet implere. Quos Boamundus impunitos permisit abire. Hoc bellum factum est in quarta feria, quae est caput ieiunii. Per omnia benedictus Deus. Amen.

Explicit liber I. Incipit liber secundus.

Liber II

[v] Mandauit infelix imperator simul cum nostris nuntiis uni ex suis, quem ualde diligebat, quem et corporalium uocant, ut nos secure deduceret per terram suam, donec ueniremus Constantinopolim. Cumque transiremus ante illorum ciuitates, iubebat habitatoribus terrae ut nobis asportarent mercatum, sicut faciebant et illi quos diximus. Certe tantum timebant fortissimam gentem domni Boamundi, ut nullum nostrorum sinerent intrare muros ciuitatum. Volueruntque nostri quoddam castrum aggredi et apprehendere, eo quod erat plenum omnibus bonis. Sed uir prudens Boamundus noluit consentire, tantum pro iustitia terrae quantum pro fiducia imperatoris. Vnde ualde iratus est cum Tancredo et aliis omnibus. Hoc factum est uespere. Mane uero facto, exierunt habitatores castri, et cum processione deferentes in manibus cruces, uenerunt in presentiam Boamundi. Ipse uero gaudens recepit eos, et cum letitia abire permisit illos. Deinde uenimus ad quamdam urbem quae dicitur Serra, ubi nostra fiximus tentoria, et sat habuimus mercatum, illis diebus conueniens. Ibi Boamundus concordatus est cum duobus corporaliis, et pro amicitia eorum ac pro iustitia terrae iussit reddi omnia animalia quae nostri depredata tenebant. Deinde peruenimus ad Rusam ciuitatem. Grecorum autem gens exhibat et ueniebat gaudens in occursum domini Boamundi, nobis deferens maximum mercatum, ibique nostros tetendimus papiliones in quarta feria ante Cenam Domini; ibi etiam Boamundus totam gentem suam dimisit, perrexitque loqui cum imperatore Constantinopolim, ducens tamen secum paucos milites. Tancredus remansit caput militiae Christi, uidensque peregrinos cibos emere, ait intra se quod exiret extra uiam, et hunc populum conduceret ubi feliciter uiueret. Denique intravit in uallem quamdam plenam omnibus bonis quae corporalibus nutrimentis sunt congrua; in qua Pascha Domini deuotissime celebrauimus.

[vi] Cum imperator audisset honestissimum uirum Boamundum ad se uenisse, iussit eum honorabiliter recipi, et caute hospitari extra urbem. Quo hospitato, imperator misit pro eo, ut ueniret loqui simul secreto secum. Tunc illuc uenit dux Godefridus cum fratre suo; ac deinde comes Sancti Egidii appropinquauit ciuitati. Tunc imperator anxians et bulliens ira, cogitabat quemadmodum callide fraudulenterque comprehendenderet hos Christi milites. Sed diuina gratia reuelante, neque locus neque nocendi spatium ab eo uel a suis inuenta sunt. Nouissime uero congregati omnes maiores natu qui Constantinoli erant, timentes ne sua priuarentur patria, reppererunt in suis consiliis atque ingeniosis scematibus quod nostrorum duces, comites, seu omnes maiores imperatori sacramentum fideliter facere deberent. Qui omnino prohibuerunt, dixeruntque: ,Certe indigni sumus, atque iustum nobis uidetur nullatenus ei sacramentum iurare.'

Forsitan adhuc a nostris maioribus sepe delusi erimus. Ad ultimum quid facturi erunt? Dicent quoniam necessitate compulsi nolentes uolentesque humiliauerunt se ad nequissimi imperatoris uoluntatem.

Fortissimo autem uiro Boamundo quem ualde timebat, quia olim eum sepe cum suo exercitu eiecerat de campo dixit, quoniam si libenter ei iuraret, quindecim dies eundi terrae in extensione ab Antiochia retro daret, et octo in latitudine. Eique tali modo

iurauit, ut si ille fideliter teneret illud sacramentum, iste suum nunquam preteriret. Tam fortes et tam duri milites, cur hoc fecerunt? Propterea igitur, quia multa coacti erant necessitate.

Imperator quoque omnibus nostris fidem et securitatem dedit, iurauit etiam quia ueniret nobiscum pariter cum suo exercitu per terram et per mare; et nobis mercatum terra marique fideliter daret, ac omnia nostra perdita diligenter restauraret, insuper et neminem nostrorum peregrinorum conturbari uel contristari in uia Sancti Sepulchri nellet aut permitteret.

Comes autem Sancti Egidii erat hospitatus extra ciuitatem in burgo, gensque sua remanserat retro. Mandauit itaque imperator comiti, ut faceret ei hominium et fiduciam sicut alii fecerant. Et dum imperator haec mandabat, comes meditabatur qualiter uindictam de imperatoris exercitu habere posset. Sed dux Godefridus et Rotbertus comes Flandrensis aliique principes dixerunt ei, iniustum fore, contra Christianos pugnare. Vir quoque sapiens Boamundus dixit, quia si aliquid iniustum imperatori faceret, et fiduciam ei facere prohiberet, ipse ex imperatoris parte fieret. Igitur comes accepto consilio a suis, Alexio uitam et honorem iurauit, quod nec per se nec per alium ei auferre consentiat, cumque de hominio appellaretur, non se pro capitis periculo id facturum. Tunc gens domni Boamundi appropinquauit Constantinopoli.

[vii] Tancredus uero et Richardus de Principatu propter iusiurandum imperatoris latenter transfretauerunt Brachium, et fere omnis gens Boamundi iuxta illos. Et mox exercitus comitis Sancti Egidii appropinquauit Constantinopoli. Comes uero remansit ibi cum ipsa sua gente. Boamundus itaque remansit cum imperatore, ut cum eo consilium acciperet, quomodo mandarent mercatum gentibus quae erant ultra Nicenam ciuitatem. Dux itaque Godefridus iuit prius Nicomediam simul cum Tancredo, et aliis omnibus, fueruntque ibi per tres dies. Videns uero dux quod nulla uia pateret per quam posset conducere has gentes usque Nicenam ciuitatem, quoniam per illam uiam per quam prius alii transierant non posset modo tanta gern transire, misit ante se tria milia hominum cum securibus et gladiis, qui incidissent et aperuissent hanc viam, quae patefacta fieret nostris peregrinis usque Nicenam urbem. Quae uia fuit aperta per angustam et nimis immensam montanam, et faciebant retro per uiam cruces ferreas ac ligneas, quas ponebant super stipites ut eas nostri peregrini cognoscerent. Interea peruenimus ad Niceam, quae est caput totius Romaniae, in quarto die, II nonas Maii, ibique castrametati sumus. Priusquam autem Boamundus uenisset ad nos, tanta inopia panis fuit inter nos, ut unus panis uenderetur uiginti aut triginta denariis. Postquam uenit uir prudens Boamundus, iussit maximum mercatum conduci per mare, et pariter utrinque ueniebant, ille per terram et ille per mare, et fuit maxima ubertas in tota Christi militia.

[viii] In die autem Ascensionis Domini coepimus urbem circumquaque inuadere, et aedificare instrumenta lignorum atque turres ligneas, quo possemus murales turres sternere. Tam fortiter et tam acriter aggredimur urbem per duos dies, ut etiam foderemus murum urbis. Turci quippe qui erant in urbe, miserunt nuntios aliis qui uenerant adiutorium ciuitati dare, in hunc modum, quo audacter secureque approximent, et per meridianam introeant portam, quoniam ex illa nemo eis erit obuiam nec contristabit. Quae porta ipsa die a comite sancti Egidii in die sabbati post

Ascensionem Domini et episcopo Podiensis hospitata fuit. Qui comes, ueniens ex alia parte, protectus diuina uirtute ac terrenis fulgebat armis cum suo fortissimo exercitu. Hic itaque inuenit contra nos uenientes Turcos. Qui undique signo crucis armatus, uehementer irruit super illos atque superauit. Dederuntque fugam, et fuit mortua maxima pars illorum. Qui rursus uenerunt auxilio aliorum gaudentes et exultantes ad certum bellum, trahentes secum funes, quibus nos ligatos ducerent Corosanum. Venientes autem letantes, coeperunt ex cacumine montis paulatim descendere. Quotquot descenderunt, illic cesis capitibus a manibus nostrorum remanserunt. Proiiciebant autem nostri capita occisorum funda in urbem, ut inde Turci magis terrentur.

Denique comes sancti Egidii et episcopus Podiensis consiliati sunt in unum qualiter facerent subfodi quamdam turrim, quae erat ante tentoria eorum. Ordinati sunt homines qui hanc suffodian, et arbalistae et sagittarii qui eos undique defendant. Foderunt namque illam usque ad radices muri, summiseruntque postes et ligna, ac deinde miserunt ignem. Sero autem facto, cecidit turris iam in nocte, sed quia nox erat, non potuerunt preliari cum illis. Nocte uero illa surrexerunt festinanter Turci, et restaurauerunt murum tam fortiter, ut ueniente die nemo posset eos laedere ex illa parte.

Modo uenit comes de Nortmannia, et comes Stephanus, et alii plures, ac deinceps Rogerius de Barnauilla. Boamundus denique obsedit urbem in prima fronte, et iuxta eum Tancredus, et postea dux Godefridus, ac deinde comes Flandrensis, iuxta quem Rotbertus Nortmannus, et iuxta eum comes Sancti Egidii, iuxta quem Podiensis episcopus. Ita uero per terram fuit obsessa, ut nemo auderet exire neque intrare. Fueruntque ibi onmes congregati in unum. Et quis poterat numerare tantam Christi militiam? Nullus ut puto tot prudentissimos milites nec antea uidit nec ultra uidere poterit.

Erat autem ex una parte urbis immensus lacus, in quo Turci suas mittebant naues, et exibant et intrabant, et afferebant herbam, ligna et alia plura. Tunc nostri maiores, consiliati in unum, miserunt nuntios Constantinopolim dicturos imperatori, ut faceret naues conduci ad Ciuito, ubi portus est, atque iuberet congregari boues qui eas traherent per montanas et siluas, usque approximent lacui. Quod continuo factum fuit, suosque Turcopulos mandauit cum eis. Die uero quo naues fuerant conductae, noluerunt eas statim mittere in lacum; sed nocte superueniente miserunt eas in ipsum lacum, plenas Turcopolis, bene ornatis armis. Summo autem diluculo stabant naues optime ordinatae, per lacum properantes contra urbem. Videntes eas Turci mirabantur, ignorantes an esset eorum gens an imperatoris. Postquam autem cognouerunt esse gentem imperatoris, timuerunt usque ad mortem, plorantes et lamentantes; Francique gaudebant, et dabant gloriam Deo. Videntes autem Turci quod nullatenus ex suis exercitibus adiutorium habere possent, legationem mandauerunt imperatori, quia ciuitatem sponte redderent, si eos omnimodo abire perinitteret cum mulieribus et filiis et omnibus substantiis suis. Tunc imperator, plenus uana et iniqua cogitatione, iussit illos impunitos abire sine ullo timore, ac sibi eos Constantinopolim cum magna fiducia adduci. Quos studiose seruabat, ut illos ad Francorum nocumenta et obstacula paratos haberet.

Fuimusque in obsidione illa per septem ebdomadas et tres dies, et multi ex nostris

illic receperunt martyrium, et letantes gaudentesque reddiderunt felices animas Deo; et ex pauperrima gente multi mortui sunt fame pro Christi nomine. Qui in caelum triumphantes portarunt stolam recepti martyrii, una uoce dicentes: ,Vindica Domine sanguinem nostrum, qui pro te effusus est; qui es benedictus et laudabilis in secula seculorum. Amen.'

Explicit liber II. Incipit liber III.

Liber III

[ix] Interea redditia ciuitate et Turcis deductis Constantinopolim, unde imperator magis magisque gausus quod ciuitas redditia sit eius potestati, iussit maximas elemosinas erogari nostris pauperibus. Denique prima die qua recessimus a ciuitate, uenimus ad quemdam pontem, ibique mansimus per duos dies. Tertia autem die, priusquam lux coepisset oriri, surrexerunt nostri; et quia nox erat non uiderunt tenere unam uiam, sed sunt diuisi per duo agmina, et uenerunt diuisi per duos dies. In uno agmine fuit uir Boamundus, et Rotbertus Normannus, et prudens Tancredus, et alii plures. In alio fuit comes Sancti Egidii, et dux Godefridus, et Podiensis episcopus, et Hugo Magnus, comesque Flandrensis, et alii plures.

Tertia uero die irruerunt Turci uehementer super Boamundum, et eos qui cum ipso erant. Continuo Turci cooperunt stridere et garrire ac clamare, excelsa uoce dicentes diabolicum sonum nescio quomodo in sua lingua. Sapiens uir Boamundus uidens innumerabiles Turcos procul, stridentes et clamantes demoniaca uoce, protinus iussit omnes milites descendere, et tentoria celeriter extendere. Priusquam tentoria fuissent extensa, rursus dixit omnibus militibus: "Seniores et fortissimi milites Christi, ecce modo bellum angustum est undique circa nos. Igitur omnes milites eant uiriliter obuiam illis, et pedites prudenter et citius extendant tentoria."

Postquam uero hoc totum factum est, Turci undique iam erant circumcingentes nos, dimicando et iaculando, ac spiculando, et mirabiliter longe lateque sagittando. Nos itaque quamquam nequiuimus resistere illis, neque sufferre pondus tantorum hostium, tamen pertulimus illuc unanimiter gradum. Feminae quoque nostrae in illa die fuerunt nobis in maximo refugio, quae afferebant ad bibendum aquam nostris preliatoribus, et fortiter semper confortabant illos, pugnantes et defendantes. Vir itaque sapiens Boamundus protinus mandauit aliis, scilicet comiti de Sancto Egidio, et duci Godefrido, et Hugoni Magno, atque Podiensi episcopo, aliisque omnibus Christi militibus, quo festinent, et ad bellum citius approximent, dicens: "Et si hodie luctari uolunt, uiriliter ueniant." Dux itaque Godefridus audax et fortis, ac Hugo Magnus simul uenerunt prius cum suis exercitibus; episcopus quoque Podiensis prosequutus est illos, una cum suo exercitu, et comes de Sancto Egidio iuxta illos cum magna gente.

Mirabantur ergo nostri ualde unde esset exorta tanta multitudo Turcorum, et Arabum et Saracenorum, et aliorum quos enumerare ignoro; quia pene onmes montes et colles et ualles et omnia plana loca intus et extra undique erant cooperta de illa excommunicata generatione. Factus est itaque sermo secretus inter nos laudantes et consulentes atque dicentes: "Estote omnimodo unanimes in fide Christi et Sanctae Crucis uictoria, quia hodie onmes diuites si Deo placet effecti eritis."

Continuo fuerunt ordinatae nostrorum acies. In sinistra parte fuit uir sapiens Boamundus, et Rotbertus Nortmannus, et prudens Tancredus, ac Robertus de Ansa et Richardus de Principatu. Episcopus uero Podiensis uenit per alteram montanam, undique circumcingens incredulos Turcos. In sinistra quoque parte equitauit fortissimus miles Raimundus comes de Sancto Egidio. In dextera uero parte fuit dux Godefridus, et accrimus miles Flandrensis comes, et Hugo Magnus, et alii plures,

quorum nomina ignoro.

Statim autem uenientibus militibus nostris, Turci et Arabes, et Saraceni et Agulani omnesque barbarae nationes dederunt uelociter fugam, per compendia montium et per plana loca. Erat autem numerus Turcorum, Persarum, Publicanorum, Saracenorum, Agulanorum, aliorumque paganorum trecenta sexaginta milia extra Arabes, quorum numerum nemo scit nisi solus Deus. Fugerunt uero nimis uelociter ad sua tentoria, ibique eos diu morari non licuit. Iterum uero arripuerunt fugam, nosque illos persecuti sumus occidentes tota una die. Et accepimus spolia multa, aurum, argentum, equos et asinos, camelos, oves, et boues et plurima alia quae ignoramus. Et nisi Dominus fuisset nobiscum in bello, et aliam cito nobis misisset aciem, nullus nostrorum euasisset, quia ab hora tertia usque in horam nonam perdurauit haec pugna. Sed omnipotens Deus pius et misericors qui non permisit suos milites perire, nec in manibus inimicorum incidere, festine nobis adiutorium misit. Sed fuerunt illic mortui duo ex nostris milites honorabiles, scilicet Gosfredus de Monte Scabioso, et Willelmus Marchisi filius frater Tancredi, aliquie milites et pedites quorum nomina ignoro.

Quis unquam tam sapiens aut doctus audebit describere prudentiam militiamque et fortitudinem Turcorum? Qui putabant terrere gentem Francorum minis suarum sagittarum, sicut terruerunt Arabes, Saracenos, et Hermenios, Suranios et Grecos. Sed si Deo placet nunquam tantum ualebunt, quantum nostri. Verumtamen dicunt se esse de Francorum generatione, et quia nullus homo naturaliter debet esse miles nisi Franci et illi. Veritatem dicam quam nemo audebit prohibere. Certe si in fide Christi et Christianitate sancta semper firmi fuissent, et unum Deum in trinitate confiteri uoluissent Deique Filium natum de Virgine matre, passum, et resurrexisse a mortuis et in caelum ascendisse suis cernentibus discipulis, consolationemque Sancti Spiritus perfecte misisse; et eum in caelo et in terra regnante recta mente et fide credidissent, ipsis potentiores uel fortiores uel bellorum ingeniosissimos nullus inuenire potuisset. Et tamen gratia Dei uicti sunt a nostris. Hoc bellum est factum, primo die Iulii.

Explicit liber III. Incipit IIII.

Liber IV

[x] Postquam uero Turci inimici Dei et sanctae Christianitatis omnino fuerunt deuicti, per quatuor dies et noctes fugientes huc et illuc, contigit ut Solimanus dux illorum, filius Solimani ueteris, fugeret de Nicea. Qui inuenit decem milia Arabum, qui dixerunt ei: "O infelix et infeliciar omnibus gentilibus, cur tremefactus fugis?" Quibus Solimanus lacrimabiliter respondit: "Quoniam olim cum habuissem omnes Francos deuictos, eosque putarem iam in captiuitate ligatos, dum paulatim uoluissem ligare adinuicem, tunc respiciens retro, uidi tam innumerabilem gentem eorum, ut si uos aut aliquis illic adesset, putaret quod omnes montes et colles uallesque et omnia plana loca plena essent illorum multitudine. Nos igitur illos cernentes, statim coepimus capere subitanum iter, timentes tam mirabiliter, ut uix euaserimus de illorum manibus, unde adhuc in nimio terrore sumus. Et si michi et uerbis meis uelletis credere, auferretis uos hinc, quia si et ipsi potuerint uos solummodo scire, unus ex uobis uix amplius euadet uiuens." At illi audientes talia, retrorsum uerterunt dorsa, et se expanderunt per uniuersam Romaniam. Tunc ueniebamus nos persequentes iniquissimos Turcos, cotidie fugientes ante nos. At illi uenientes ad cuncta castra siue urbes, fingentes et deludentes habitatores terrarum illarum dicebant: "Nos deuicimus Christianos omnes, et superauimus illos, ita ut nullus eorum iam unquam audeat erigere se ante nos; tantum permittite nos intus intrare." Qui intrantes spoliabant ecclesias et domos et alia omnia, et ducebant equos secum et asinos et mulos, aurum et argentum et ea quae reperire poterant. Adhuc quoque filios Christianorum secum tollebant, et ardebat ac deuastabant omnia conuenientia siue utilia, fugientes et pauentes ualde ante faciem nostram. Nos itaque persequebamur eos per deserta et inaquosam et inhabitabilem terram, ex qua uix uiui euasimus uel exiuimus. Fames uero et sitis undique coartabant nos, nihilque penitus nobis erat ad edendum, nisi forte uellentes et fricantes spicas manibus nostris, tali cibo quam miserrime uiuebamus. Illic fuit mortua maxima pars nostrorum equorum, eo quod multi ex nostris militibus remanserunt pedites; et pro penuria equorum, erant nobis boues loco caballorum, et pro nimia necessitate succedebant nobis capri et multones ac canes ad portandum.

Interea coepimus intrare in terram optimam, plenam corporalibus alimentis et deliciis omnibusque bonis; ac deinceps appropinquauimus Yconio. Habitatores uero terrae illius suadebant et ammonebant nos, nobiscum ferre utres plenos aqua, quia illic in itinere diei unius est maxima penuria aquae. Nos uero ita fecimus, donec peruenimus ad quoddam flumen, ibique hospitati sumus per duos dies. Cooperunt autem cursores nostri ante ire, donec peruererunt ad Erachiam, in qua erat Turcorum nimia congregatio, exspectans et insidians, quomodo posset Christi milites nocere. Quos Turcos Dei omnipotentis milites inuenientes audacter inuaserunt. Superati itaque sunt inimici nostri in illa die, tamque celeriter fugiebant quam sagitta fugit emissa ictu ualido cordae et arcus. Nostri igitur intrauerunt statim in ciuitatem, ibique mansimus per quatuor dies.

Illic diuisit se ab aliis Tancredus Marchisi filius, et Balduinus comes frater ducis Godefridi, simulque intrauerunt uallem de Botrenthrot. Diuisit quoque se Tancredus,

et uenit Tharsum cum suis militibus. Exierunt denique Turci de urbe, et uenerunt obuiam eis, atque in unum congregati properauerunt ad bellum contra Christianos. Appropinquantibus itaque nostris et pugnantibus, dederunt inimici nostri fugam, reuertentes in urbem celeri gressu. Tancredus uero miles Christi peruenit laxatis loris, et castrametatus est ante portam urbis. Ex alia igitur parte uenit uir inclitus comes Balduinus cum suo exercitu, postulans Tancrenum, quatinus eum amicissime in societatem ciuitatis dignaretur suscipere. Cui ait Tancredus: "Te omnimodo in hac societate denego." Nocte itaque superueniente, omnes Turci tremefacti fugam una arripuerunt. Exierunt denique habitatores ciuitatis sub illa noctis obscuritate, clamantes excelsa uoce: "Currite inuictissimi Franci currite, quia Turci expergefacti uestro timore omnes pariter recedunt."

Orta autem die, uenerunt maiores ciuitatis, et reddiderunt sponte ciuitatem, dicentes illis qui super hoc litigabant adinuicem: "Sinite modo seniores sinite, quia uolumus et petimus dominari et regnare super nos illum qui heri tam uiriliter pugnauit cum Turcis." Balduinus itaque mirificus comes altercabatur et litigabat cum Tancredo dicens: "Intremus simul et spoliemus ciuitatem, et qui plus potuerit habere, habeat, et qui poterit capere, capiat." Cui Tancredus fortissimus dixit: "Absit hoc a me. Ego namque Christianos nolo expoliare. Homines huius ciuitatis elegerunt me dominum super se, meque habere desiderant." Tandem nequiuuit uir fortis Tancredus diu luctari cum Balduino comite, quia illi magnus erat exercitus; tamen uolens nolensque dimisit eam, et uiriliter recessit cum suo exercitu; fueruntque ei statim traditae due optimae ciuitates, uidelicet Athena et Manustra, et plurima castra.

[xi] Major uero exercitus scilicet Raimundus comes de Sancto Egidio, et doctissimus Boamundus, duxque Godefridus, et alii plures, in Hermeniorum intrauerunt terram, sientes atque aestuentes Turcorum sanguinem. Tandem peruenierunt ad quoddam castrum, quod tam forte erat, ut nichil ei possent facere. Erat autem ibi homo quidam nomine Symeon, qui in illa ortus fuit regione, quiue hanc petii terram, quo eam de manibus defenderet inimicorum Turcorum, cui sponte illi dederunt terram, quiue remansit ibi cum sua gente. Nos denique exeentes inde peruenimus feliciter, usque Cesaream Cappadociae. A Cappadocia autem egressi, uenimus ad quamdam ciuitatem puicherrimam et nimis uberrimam, quam paululum ante nostrum aduentum obsederant Turci per tres ebdomadas, sed non superauerant. Mox illuc aduenientibus nobis, continuo tradidit se in manu nostra cum magna laetitia. Hanc igitur petiit quidam miles cui nomen Petrus de Alpibus, ab omnibus senioribus, quatinus eam defenderet in fidelitate Dei et Sancti Sepulchri, et seniorum atque imperatoris. Cui cum nimio amore gratis concesserunt eam. Sequenti nocte audiuit Boamundus quod Turci qui fuerant in obsessione ciuitatis, frequenter precederent nos. Mox preparauit se solummodo cum militibus, quatinus illos undique expugnaret, sed eos inuenire non potuit.

Deinde uenimus ad quamdam urbem nomine Coxon, in qua erat maxima ubertas omnium bonorum quae nobis erant necessaria. Christiani igitur uidelicet alumni urbis illius reddiderunt se statim, nosque fuimus ibi optime per tres dies, et illic maxime sunt recuperati nostri. Audiens itaque Raimundus comes quod Turci qui erant in custodia Antiochiae discessissent, in suo inuenit consilio, quod mitteret illuc aliquos ex suis militibus, qui eam diligenter custodirent. Tandem elegit illos quos legare

uolebat, uidelicet Petrum de Castellione vicecomitem, Willelmum de Monte Pislerio, Petrum de Roasa, Petrum Raimundum de Pul, cum quingentis militibus. Venerunt itaque in uallem prope Antiochiam ad quoddam castrum Publicanorum, illicque audierunt Turcos esse in ciuitatem eamque fortiter defendere preparabant. Petrus de Roasa diuisit se ibi ab aliis, et proxima nocte transiuit prope Antiochiam, intravitque uallem de Rugia; et inuenit Turcos et Saracenos, et preliatus est cum eis, et occidit multos ex eis, et alios persecutus est ualde. Videntes hoc Hermenii habitatores terrae illius, illum fortiter superasse paganos, continuo reddiderunt se. Ipse uero statim cepit Rusam ciuitatem, et plurima castra.

Nos autem qui remansimus, exeentes inde intrauimus in diabolicam montanam, quae tam erat alta et angusta, ut nullus nostrorum auderet per semitam, quae in monte patebat, ante alium preire. Illic precipitabant se equi, et unus saumarius precipitabat alium. Milites ergo stabant undique tristes, feriebant se manibus pre nimia tristitia et dolore, dubitantes quid facerent de semetipsis et de suis armis uendentes suos clipeos et lorias optimas cum galeis, solummodo propter tres aut quinque denarios, uel prout quisque poterat habere. Qui autem uendere nequibant, gratis a se iactabant et ibant. Exeentes igitur de exsecrata montana, peruenimus ad ciuitatem quae uocatur Marasim. Cultores uero illius ciuitatis exierunt obuiam nobis letantes, et deferentes maximum mercatum, illicque habuimus omnem copiam, expectando donec ueniret dominus Boamundus. Venerunt itaque nostri milites in uallem, in qua regalis ciuitas Antiochia sita est, quae est caput totius Syriae, quamque dominus Iesus Christus tradidit beato Petro apostolorum principi, quatinus eam ad cultum sanctae fidei reuocaret; qui uiuit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

[Explicit liber IIII. Incipit liber V.]

[xii] Cum coepissemus appropinquare ad Pontem Farreum, cursores nostri, qui semper solebant nos precedere, inuenientur Turcos innumerabiles congregatos obuiam eis, qui dare adiutorium Antiochiae festinabant. Irruentes igitur nostri uno corde et mente super illos, superauerunt Turcos. Consternati sunt barbari dederuntque fugam, et multi mortui sunt ex eis in ipso certamine. Nostri igitur superantes illos Dei gratia, acceperunt spolia multa, equos, camelos, mulos, asinos, honustos frumento et uino. Venientes denique nostri, castrametati sunt super ripam fluminis. Protinus uir sapiens Boamundus cum quatuor milibus militum uenit ante portam ciuitatis, uigilare si forte aliquis nocte latenter exiret aut intraret ciuitatem. Crastina uero die peruerunt usque ad Antiochiam media die, in quarta feria quae est XII kalendas Novembris, et obsedimus mirabiliter tres portas ciuitatis, quoniam in alia parte deerat nobis locus obsidendi, quia alta et nimis angusta montana nos coartabat. Tantum autem timebant nos undique inimici nostri Turci, qui erant intus in urbe, ut nemo eorum auderet offendere aliquem ex nostris, fere per spatium dierum quindecim. Mox hospitantes nos circa Antiochiam, repperimus illic omnem abundantiam, uidelicet uineas undique plenas, foueas plenas frumento, arbores refertas pomis, et alia multa bona corporibus utilia.

Hermenii et Suriani qui erant intus in urbe exeentes et ostendentes se fugere, cotidie erant nobiscum, sed eorum uxores in ciuitate. Illi uero ingeniose inuestigabant nostrum esse nostramque qualitatem, referebantque omnia his qui erant in urbe inclusi. Postquam uero Turci fuerunt edocti de nostra essentia, cooperunt paulatim de urbe exire, nostros peregrinos undique coangustare, non solum ex una parte, sed undique erant latentes obuiam nobis ad mare et ad montanam.

Erat autem non longe castrum cui nomen Aregh, ubi erant congregati multi Turci fortissimi, qui frequenter conturbabant nostros. Audientes itaque nostri seniores talia, nimis doluerunt, miseruntque ex militibus suis qui diligenter explorarent locum ubi erant Turci. Reperto igitur loco ubi latebant, nostri milites qui quaerebant illos obuiant eis. At nostris paulatim retrogradientibus ubi sciebant Boamundum esse cum suo exercitu, statim fuerunt illic mortui duo ex nostris. Hoc audiens Boamundus surrexit cum suis ut fortissimus Christi athleta, et barbari irruerunt contra illos, eo quod nostri erant pauci; tamen simul iuncti inierunt bellum. Mortui sunt uero multi ex nostris inimicis, et capti alii ducti sunt ante portam urbis, ibique decollabantur, ut magis tristes fierent qui erant in urbe.

Exibant quidem alii de ciuitate, et ascendebant in quamdam portam, et sagittabant nos, ita ut sagittae eorum caderent in domini Boamundi plateam; et una mulier occubuit ictu sagittae.

[xiii] Congregati sunt itaque omnes maiores nostri, et ordinauerunt concilium dicentes: "Faciamus castrum in uertice montis Maregart, quo securi atque tuti possimus esse a Turcorum formidine." Facto itaque castro atque munito, omnes maiores illud inuicem custodiebant. Iamiam cooperant frumentum et omnia nutrimenta corporum nimis esse cara ante Natale Domini. Foras penitus non audebamus exire, nichilque penitus in terra Christianorum inuenire poteramus ad

edendum. In Saracenorum namque terram nemo intrare audebat nisi cum magna gente. Ad ultimum statuerunt nostri seniores concilium, ordinando qualiter regerent tantas gentes. Inuenerunt in consilio, ut una pars nostri iret diligenter attrahere stipendum, et ubique custodire exercitum; alia quoque pars fiducialiter remaneret custodire hostem. Boamundus denique dixit: "Seniores et prudentissimi milites, si uultis et bonum uobis uidetur, ego ero cum Flandrensi comite, iturus cum eo." Celebratis itaque gloriosissimae solempnitatibus Natiuitatis in die lunae secunda scilicet feria egressi sunt illi et alii plus quam uiginti milia militum et peditum, ac sani et incolumes intrauerunt terram Saracenorum. Congregati quippe erant multi Turci et Arabes et Saraceni, ab Hierusalem et Damasco et Aleph, et ab aliis regionibus, qui ueniebant fortitudinem Antiochiae dare. Audientes itaque isti Christianorum gentem conductam esse in illorum terram, illico preparauerunt se ad bellum contra Christianos; atque summo diluculo uenerunt in locum ubi gens nostra erat in unum. Diuiseruntque se barban et fecerunt duas acies, unam ante et aliam retro, cupientes ex omni parte circumcingere nos. Egregius itaque comes Flandrensis undique regimine fidei signoque crucis quam fideliter cotidie baiulabat armatus, occurrit illis una cum Boamundo. Irrueruntque nostri unanimiter super illos. Qui statim arripuerunt fugam, et festinanter uerterunt retro scapulas, ac mortui sunt ex illis plurimi, nostrique coeperunt equos eorum et alia spolia. Alii uero, qui uiui remanserant uelociter fugerunt, et in iram perditionis abierunt. Nos autem reuertentes cum magno tripudio, laudauimus et magnificauius trinum et unum Deum, qui uiuit et regnat nunc et in aeum. Amen.

Explicit liber V. Incipit liber VI.

Liber VI

[xiii] Turci denique, inimici Dei et sanctae christianitatis, qui erant intus in custodia ciuitatis Antiochiae, audientes dominum Boamundum et Flandrensem comitem in obsessione non esse, exierunt de ciuitate, et audacter ueniebant preliari nobiscum, insidiantes undique in qua parte obsidio esset languidior, scientes prudentissimos milites foris esse; inuenientque quod in una martis die possent obsistere nobis et ledere. Venerunt uero iniquissimi barbari caute, et irruerunt uehementer super nos, et incautos occiderunt multos ex nostris militibus et peditibus. Episcopus quoque Podiensis in illa amara die perdidit suum senescalcum, conducedentem et regentem eius uexillum. Et nisi esset flumen quod erat inter nos et illos, sepius inuasissent nos, atque maximam lesionem fecissent in nostram gentem.

Egrediebatur tunc uir prudens Boamundus cum suo exercitu de terra Saracenorum, uenitque in Tancredi montanam, cogitans an forte ibi ualeret inuenire aliquid quod potuisset deferri. Nam totam terram in expendio miserant; alii quippe inuenient, alii uero uacui redierant. Tunc uir sapiens Boamundus increpauit eos dicens: "O infelix et miserrima gens, O uilissima omnium Christianorum, cur tam celeriter uultis abire? Sinite modo sinite, usquequo erimus congregati in unum, et nolite errare sicut oves non habentes pastorem. Si autem inimici nostri inuenient uos errantes, occident uos, quia die noctuque uigilant, ut uos siue ductore segregatos sine solos inueniant, uosque cotidie occidere et in captiuitatem ducere laborant." Cumque finis esset dictis, rediit ad suam hostem, cum suis plus uacuis quam honustis.

Videntes autem Hermenii et Surani quod nostri penitus uacui rediissent, consiliati in unum abibant per montaneas et prescita loca, subtiliter inquirentes et ementes frumentum et corporea alimenta, quae ad hostem deferebant in qua erat fames immensa; et uendebant onus unius asini octo purpuratis, qui appreciabantur centum uiginti solidis denariorum. Ibi quidem sunt mortui multi ex nostris, non habentes pretium unde tam carum emere potuissent.

[xv] Willelmus igitur Carpentarius et Petrus Heremita, pro immensa infelicitate ac miseria ipsa, latenter recesserunt. Quos Tancredus persequens apprehendit, secumque reduxit cum dedecore; qui dextram et fidem illi dederunt, quia libenter ad hostem redirent et satisfactionem senioribus facerent. Tota denique nocte Willelmus ut mala res in tentorio domini Boamundi iacuit. Crastina uero die summo diluculo, ueniens erubescendo ante Boamundi presentiam stetit. Quem alloquens Boamundus dixit: "O infelix et infamia totius Franciae, dedecus et scelus Galliarum, O nequissime omnium quos terra suffert, cur tam turpiter fugisti? Forsitan ob hoc quod uoluisti tradere hos milites et hostem Christi, sicut tradidisti alios in Hispania." qui omnino tacuit, et nullus sermo ex eius ore processit. Adunauerunt sese omnes fere Francigenae, rogaueruntque humiliter ne deterius ei facere permitteret. Annuit ille sereno uultu, et ait: "Hoc pro uestri amore libenter consentiam, si mihi toto corde et mente inrauerit quod nunquam recedet ab Hierosolimitano itinere siue bono siue malo; et Tancredus neque per se neque per suos aliquid contrarii ei consentiet fieri." Qui auditis his uerbis uoluntarie concessit. Ipse uero protinus dimisit eum. Postmodum uero Carpentarius maxima captus turpitudine, non diu morans furtim

recessit.

Hanc paupertatem et miseriam pro nostris delictis concessit nos habere Deus. In tota namque hoste non ualebat aliquis inuenire mille milites, qui equos haberent optimos.

[xvi] Interea inimicus Tetigus audiens quod exercitus Turcorum uenissent super nos, ait se timuisse, arbitransque nos omnes perisse atque in manibus inimicorum incidisse, fingens omnia falsa, dixit: "Seniores et uiri prudentissimi, uidete quia nos sumus hic in maxima necessitate, et ex nulla parte nobis adiutorium succedit. Ecce modo sinite me in Romaniae patriam reuerti, et ego absque ulla dubitatione faciam huc multas naues uenire per mare, onustas frumento, uino, hordeo, carne, farina et caseis, omnibusque bonis quae sunt nobis necessaria. Faciam et equos conduci ad uendendum, et mercatum per terram in fidelitate imperatoris huc aduenire faciam. Ecce haec omnia uobis fideliter iurabo, et attendam. Adhuc quoque et domestici mei et papilio meus sunt in campo, unde et firmiter credite, quia quantocius redibo."

Sic itaque fecit finem dictis. Fuit ille inimicus, omnia sua dimisit in campo, et in periurio manet et manebit. Itaque tali modo inerat nobis maxima necessitas, quia Turci undique prestringebant nos, ita ut nullus nostrorum auderet iam exire extra tentoria. Nam illi constringebant nos ex una parte, et fames cruciabat ex alia. Succursus uero et adiutorium nobis deerat; gens minuta et pauperrima fugiebat Cyprum, Romaniam, et in montaneas. Ad mare utique non audebamus ire propter timorem pessimorum Turcorum; nusquam erat nobis uia patefacta.

[xvii] Itaque audiens dominus Boamundus innumerabilem gentem Turcorum uenientem super nos, caute uenit ad alios, dicens: "Seniores et prudentissimi milites, quid facturi erimus? Nos namque tanti non sumus, ut in duabus partibus pugnare ualeamus. Sed scitis quid faciemus? Faciamus ex nobis duas partes. Pars peditum remaneat iugiter custodire papiliones, et quibit nimis obsistere his qui in ciuitate sunt. Alia uero pars militum nobiscum ueniat obuiam inimicis nostris, qui hic hospitati sunt prope nos, in castello Areg ultra pontem Farreum."

Sero autem facto, exiit e tentoriis uir prudens Boamundus cum aliis prudentissimis militibus, iuitque iacere inter flumen et lacum. Summo diluculo iussit protinus exploratores exire, et uidere quot sunt Turcorum turmae, et ubi sint, aut certe quid agant. Exierunt illi, coeperuntque subtiliter inquirere, ubi essent acies Turcorum reconditae. Viderunt tandem Turcos innumerabiles segregatos uenire ex parte fluminis diuisos per duas acies; maxima uero uirtus illorum ueniebat retro. Reuersi sunt namque celeriter speculatores, dicentes: "Ecce, ecce uenient! Igitur estote omnes parati, quia iam prope nos sunt." Dixitque uir sapiens Boamundus aliis: "Seniores et inuictissimi milites, ordinate adiuicem bellum." Responderuntque illi: "Tu sapiens et prudens, tu magnus et magnificus, tu fortis et uictor, tu bellorum arbiter et certaminum iudex, hoc totum fac; hoc totum super te sit. Omne bonum quod tibi uidetur, nobis et tibi operare et fac." Tunc Boamundus iussit, ut unusquisque principum per se dirigeret aciem suam ordinatim. Feceruntque ita; et ordinatae sunt sex acies. Quinque uero ex eis ierunt adunatim inuadere illos. Boamundus itaque paulatim gradiebatur retro cum sua acie. Iunctis igitur prospere nostris, unus comminus percutiebat alium. Clamor uero resonabat ad celum. Omnes preliabantur insimul. Imbres telorum obnubilabant aerem. Postquam uenit maxima uirtus illorum quae erat retro, acriter inuasit nostros, ita ut nostri paululum iam cederent retro. Quod

ut uidit uir doctissimus Boamundus, ingemuit. Tunc precepit suo conostabili scilicet Roberto filio Girardi, dicens: "Vade quam citius potes ut uir fortis, et esto acer in adiutorium Dei Sanctique Sepulchri. Et reuera scias quia hoc bellum carnale non est sed spirituale. Esto igitur fortissimus athleta Christi. Vade in pace; Dominus sit tecum ubique." Fuit itaque ille, undique signo crucis munitus, qualiter leo perpessus famem per tres aut quatuor dies, qui exiens a suis cauernis, rugiens ac sitiens sanguinem pecudum sicut improuide ruit inter agmina gregum, dilanians oves fugientes huc et illuc; ita agebat iste inter agmina Turcorum. Tam uehementer instabat illis, ut linguae uexilli uolitarent super Turcorum capita.

Videntes autem aliae acies quod uexillum Boamundi tam honeste esset ante alios delatum, illico redierunt retrorsum, nostrique unanimiter inuaserunt Turcos; qui omnes stupefacti arripuerunt fugam. Nostri itaque persecuti sunt illos et detruncauerunt usque ad pontem Farreum. Reuersi sunt autem Turci festinanter in castrum suum, acceperuntque omnia quae ibi reperire potuerunt, totumque castrum spoliauerunt, miseruntque ignem et fugerunt. Hermenii et Surani scientes Turcos omnino perdidisse bellum, exierunt et excubauerunt per arta loca, et occiderunt et apprehenderunt multos ex eis.

Superati sunt itaque, Deo annuente, in illo die inimici nostri. Satis uero recuperati sunt nostri de equis et de aliis multis quae erant illis ualde necessaria. Et centum capita mortuorum detulerunt ante portam ciuitatis, ubi legati ammirati Babyloniae castrametati fuerant, qui mittebantur senioribus. Illi qui remanserant in tentoriis, tota die preliati sunt cum illis qui erant in ciuitate, ante tres portas ciuitatis. Factum est hoc bellum in die martis ante caput ieunii, quinto idus Februarii, fauente domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto uiuit et regnat Deus, per immortalia secula seculorum, Amen.

[Explicit liber VI. Incipit liber VII.]

[xviii] Reuersi sunt nostri agente Deo triumphantes, et gaudentes de triumpho quem in die illo habuerunt deuictis inimicis, qui sunt per omnia superati semper, fugientes huc et illuc; uagantes et errantes, alii in Corrozanam, alii ueroa in Saracenorum introierunt terram. Videntes autem nostri maiores quod male tractarent et constringerent nos inimici nostri qui erant in ciuitate, die ac nocte uigilantes et insidiantes qua parte nos ledere possent, congregati in unum dixerunt: "Priusquam perdamus gentem nostram, faciamus castrum ad machumariam quae est ante urbis portam, ubi pons est, ibique forsitan poterimus nostros constringere inimicos." Consenserunt omnes, et laudauerunt quod bonum esset ad faciendum. Comes de Sancto Egidio primus dixit: "Estote mihi in adiutorium ad faciendum castrum, et ego muniam ac seruabo." Respondit Boamundus: "Si uos uultis et alii, ibo uobiscum ad portum Sancti Simeonis diligenter conducere illos qui illic sunt homines, ut peragant hoc opus; alii qui sunt remansuri muniant se undique ad defendendum."

Comes igitur et Boamundus perrexerunt ad Sancti Simeonis portum. Nos uero, qui remansimus, congregati in unum, castrum incipiebamus, dum Turei preparauerunt se illico, et exierunt extra ciuitatem obuiam nobis ad prelum. Sic itaque irruerunt super nos, et miserunt nostros in fugam, occideruntque plures ex nostris, unde tristes ualde fuimus.

Crastina autem die uidentes Turci quod majores nostri deessent et quod preterita die iuissent ad portum, preparauerunt se, et ierunt obuiam illis uenientibus e portu. Tunc uidentes comitem et Boamundum uenientes et conducentes illam gentem, mox cooperunt stridere et garrire ac clamare uehementissimo clamore, circumcingendo undique nostros, iaculando, sagittando, uulnerando, et crudeliter detruncando. Nam tam acriter inuaserunt nostros ut illi inirent fugam per proximam montaneam, et ubi uia eundi patebat. Qui potuit celeri se gressu expedire euasit uiuus, qui uero fugere nequiuuit mortem suscepit. Fueruntque in illa die martyrizati ex nostris militibus seu peditibus plus quam mille, qui ut credimus in caelum ascenderunt, et candidati stolam martyrii receperunt.

Itaque Boamundus uiam quam tenuerant non tenuit, sed celerius cum paucis militibus ad nos uenit, qui eramus in unum congregati. Tunc nos accensi occisione nostrorum, Christi nomine inuocato et Sancti Sepulchri confidentes itinere, iuncti simul peruenimus contra eos ad bellum, eosque inuasimus uno corde et animo. Stabant uero inimici Dei et nostri undique iam stupefacti et uehementer perterriti, putantes nostros se deuincere et occidere, sicut fecerant gentem comitis et Boamundi. Sed Deus omnipotens hoc illis non permisit. Milites igitur ueri Dei undique signo crucis amati irruerunt acriter super illos et fortiter inuaserunt. Illi autem celeriter fugerunt, per medium angusti pontis, ad illorum introitum. Illi qui uiui nequiuerunt transire pontem pre nimia multitudine gentium et caballorum, ibi receperunt sempiternum interitum cum diabolo et angelis eius. Nos itaque illos superauimus, impellentes in flumen et deicientes. Vnda uero rapidi fluminis undique uidebatur fluere rubea Turcorum sanguine. Et si forte aliquis eorum uoluisset reptare super pontis columnas, aut natando ad terram moliretur exire, uulneratus est a nostris,

undique stantibus super ripam fluminis. Rumor quoque et clamor nostrorum et illorum resonabat ad caelum. Pluuiæ telorum et sagittarum tegebant polum, et claritatem diei. Mulieres Christianæ urbis ueniebant ad muri fenestras, spectantes misera fata Turcorum, et occulte plaudebant manibus. Hermenii et Surani iussu maiorum Turcorum, inuiti seu spontanei sagittas iaciebant foras ad nos. Mortui sunt etiam in anima et corpore duodecim ammiralii de Turcorum agmine in prelio illo, et alii prudentissimorum et fortiorum militum, qui melius ciuitatem pugnando defendebant; numerus quorum fuit mille et quingenti. Alii qui remanserant uiui, iam amplius non audebant clamitare, uel garrire, die neque nocte sicut ante solebant. Omnes itaque nos uel illos solummodo separauit nox, noxque diuisit utrosque in preliando, iaculando, spiculando, sagittando. Sic superati sunt inimici nostri uirtute Dei et Sancti Sepulchri, et ulterius non ualuerunt talem uirtutem habere, neque in uoce, neque in opere sicuti prius. Nos itaque ualde fuimus refecti in illa die multis rebus quae satis erant nobis necessariae, et de equis.

Crastina uero die summo diluculo exierunt alii Turci de ciuitate, et colligerunt omnia cadauera foetentia Turcorum mortuorum, quae reperire potuerunt super ripam fluminis, exceptis illis quae in alueo latebant eiusdem fluminis; et sepelierunt ad machumariam quae est ultra pontem ante portam urbis; simulque illis consepelierunt pallia, bisanteos aureos, arcus, sagittas, et alia plurima instrumenta, quae nominare nequimus. Audientes itaque nostri quod humassent mortuos suos Turci, omnes sese preparauerunt, et uenerunt festinantes ad diabolicum atrium, et iusserunt desepeliri et frangi tumbas eorum, et trahi eos extra sepulchra. Et eiecerunt omnia cadauera eorum in quandam foueam, et deportauerunt cesa capita ad tentoria nostra quatinus perfecte sciretur eorum numerus, excepto quod onerauerant quatuor equos, de nuntiis ammirali Babiloniae, et miserant ad mare. Quod uidentes Turci doluerunt nimis, fueruntque tristes usque ad necem. Nam cotidie dolentes, nichil aliud agebant nisi flere et ululare. Tertia uero die coepimus simul iuncti cum gaudio magno aedificare castrum supradictum, de lapidibus scilicet quos abstraximus de tumulis Turcorum. Peracto itaque castro, mox coepimus ex omni parte coangustare inimicos nostros, quorum superbia ad nichil iam erat redacta. Nos autem secure ambulabamus huc et illuc, ad portam et ad montaneas, laudantes et glorificantes Dominum Deum nostrum, cui est honor et gloria per omnia seculorum secula. Amen.

[Explicit liber VII. Incipit liber VIII.]

Liber VIII

[xix] Iamiam omnes semitae pene prohibitae et incisae undique erant Turcis, nisi ex illa parte fluminis ubi erat castrum et quoddam monasterium. Quod castrum si fuisset a nobis perfecte munitum, iam nullus eorum auderet extra ciuitatis portam exire. Conciliauerunt se denique nostri, et una uoce concorditer dixerunt: "Eligamus unum ex nobis, qui robuste teneat illud castrum, et nostris inimicis prohibeat montaneas et plana, et introitum urbis ac exitum." Tancredus igitur primus protulit se ante alios dicens: "Si scirem quid proficui mihi attigerit, ego sedule cum meis solummodo homibus corroborarem castrum, et uiam per quam inimici nostri solent frequentius saeuire, uiriliter deuetabo illis." Qui continuo spoponderunt ei quater centum marcas argenti. Non adquieuit Tancredus; tamen perrexit cum suis honestissimis militibus ac seruientibus, et extemplo abstulit undique uias Turcis, ita ut nulli auderent ex eis iam timore eius perterriti extra urbis portam exire; neque propter herbam neque propter ligna neque propter ulla necessaria. Remansit uero ibi Tancredus cum suis, coepitque uehementer ubique coangustare ciuitatem. Ipsa quoque die ueniebat maxima pars Hermeniorum et Suranorum secure de montaneis, qui ferebant alimenta Turcis in adiutorium ciuitatis. Quibus aduenit obuiam Tancredus et apprehendit eos, et omnia quae deferebant; uidelicet frumentum, uinum, hordeum, oleum, et alia huiusmodi. Sic itaque robuste et prospere deducebat se Tancredus, iamque habebat prohibitas et incisas omnes semitas Turcis, donec Antiochia esset capta.

Omnia quae egimus antequam urbs esset capta nequeo enarrare, quia nemo est in his partibus siue clericus siue laicus qui omnino possit scribere uel narrare, sicut res gesta est. Tamen aliquantulum dicam.

[xx] Erat quidam ammiratus de genere Turcorum cui nomen Pirus, qui maximam amicitiam receperat cum Boamundo. Hunc sepe Boamundus pulsabat nuntiis adinuicem missis, quo eum infra ciuitatem amicissime reciperet; eique christianitatem liberius promittebat, et eum se diuitem facturiim cum multo honore mandabat. Consensit ille dictis et promissionibus dicens: "Tres turres custodio, eique libenter ipsas promitto, et quacunque hora uoluerit in eas eum recolligam." Erat itaque Boamundus iam securus de introitu ciuitatis, et gausus serenaque mente, placido uultu uenit ad omnes seniores eisque iocunda uerba intulit, dicens: "Viri prudentissimi milites, uidete quomodo nos omnes in nimia paupertate et miseria sumus, maiores siue minores; et ignoramus penitus qua parte meius succedat nobis. Igitur si uobis bonum et honestum uidetur, eligat se ante alios unus ex nobis, et si aliquo modo uel ingenio ciuitatem adquirere uel ingeniare potuerit per se uel per alios, concordi uoce ei urbem dono concedamus." Qui omnino prohibuerunt, et denegauerunt dicentes: "Nemini dimittetur haec ciuitas, sed omnes aequaliter habebimus illam. Sicut aequalem habuimus laborem, sic inde aequalem habeamus honorem." Itaque Boamundus auditis his uerbis, paulominus subridens protinus recessit.

Non multo post audiuiimus nuntios de exercitu hostium nostrorum, Turcorum, Publicanorum, Agulanorum, Azimitarum, et aliarum plurimarum nationum; statimque adunauerunt so omnes maiores nostri simul, tenueruntque concilium

dicentes, quoniam "si Boamundus potuerit adquirere ciuitatem aut per se aut per alios, nos una libenti corde ultiro ei donamus, eo tenore ut si imperator uenerit nobis in adiutorium, et omnem conuentiōnem nobis sicut promisit et iurauit attendere uoluerit, nos ei eam iure reddemus. Sin autem, Boamundus eam in suam habeat potestatem." Mox itaque Boamundus coepit humiliter amicum suum cotidiana deprecari petitione, promittendo humillima, maxima, et dulcia, in hunc modum: "Ecce uere tempus modo habemus idoneum, in quo possumus operari quicquid boni uolumus, ergo adiuuet me nunc amicus meus Pirrus." Qui satis gausus de nuntio, ait se illum adiuuare omnino sicut agere deberet. Nocte itaque ueniente proxima, misit caute filium suum pignus Boamundo, ut securior fieret de introitu urbis. Misit quoque ei uerba in hunc modum, ut in crastinum omnem Francorum gentem summoneri faciat, et quasi in Saracenorum terram depredari uadat dissimulet, ac deinde celeriter reuertatur per dextram montaneam: "Ego uero," ait, "ero intentione erecta prestolans illa agmina, ea que recipiam in turres quas in mea habeo potestate ac custodia." Dein Boamundus iussit celeriter ad se uocari quendam seruientem suum uidelicet Malam Coronam, eique precepit ut quasi preco commoneret Francorum maximam gentem, quatinus fideliter prepararet se in Saracenorum itura terram. Factumque est ita. Credidit itaque Boamundus hoc consilium duci Godefrido, et Flandrensi comiti, comiti quoque de Sancto Egidio, atque Podiensi episcopo, dicens quia: "Dei fauente gracia, hac nocte tradetur nobis Antiochia".

Ordinata sunt denique haec omnia. Milites tenuerunt plana et pedites montaneam, tota nocte equitauerunt et ambulauerunt usque prope auroram, ac deinceps coeperunt appropinquare ad turres quas ille uigil custodiebat. Confestim descendit Boamundus et precepit omnibus, dicens: "Ite securo animo et felici concordia, et ascendite per scalam in Antiochiam, quam statim habebimus si Deo placet in nostra custodia." Venerunt illi usque ad scalam quae iam erat erecta et fortiter ligata ad ciuitatis moenia, et ascenderunt per illam homines fere sexaginta ex nostris; ac diuisi sunt per turres quas ille obseruabat. Videns hoc Pirrus quod tam pauci ascendissent ex nostris, coepit pauere, timens sibi et nostris, ne in manus Turcorum inciderent, dixitque: "MicrÃ³ Francos echomÃ© (hoc est: paucos Francos habemus). Vbi est acerrimus Boamundus? Vbi est ille inuictus?" Intetim descendit quidam seruiens Longobardus deorsum, et cucurrit quantocius ad Boamundum, dicens: "Quid hic stas uir prudens? Quamobrem huc uenisti? Ecce nos iam tres turres habemus!" Motus est ille cum aliis, et omnes gaudentes peruerunt usque ad scalam. Videntes itaque illi qui iam erant in turribus, coeperunt iocunda uoce clamare: "Deus uult!" Nos uero idem clamabamus. Nunc coeperunt illico mirabiliter ascendere, ascenderunt tamen, et cucurrerunt festinanter in alias turres. Quos illic inueniebant, morti tradebant, fratrem quoque Pirri occiderunt. Interea forte erupta est scala, per quam noster erat ascensus, unde inter nos orta est immensa angustia et tristitia. Quamquam autem scala fuisse fracta, tamen quaedam porta erat iuxta nos clausa in sinistra parte, quae quibusdam manebat incognita. Nox namque erat, sed tamen palpando et inquirendo inuenimus eam, omnesque cucurrimus ad illam, et ipsa fracta intrauimus per eam.

Tunc innumerabilis fragor mirabiliter resonabat per totam urbem. Non adquieuit Boamundus his, sed illico imperauit honorabile uexillum deferri sursum coram castello in quodam monte. Omnes uero pariter stridebant in ciuitate. Summo autem diluculo audientes illi qui foris erant in tentoriis uehementissimum rumorem strepere

per ciuitatem, exierunt festinantes et uiderunt uexillum Boamundi sursum in monte, celerique cursu properantes, uenerunt omnes, et per portas intrauerunt in urbem; et interfecerunt Turcos et Saracenos quos ibi reppererunt, extra illos qui fugerant sursum in castrum. Alii uero Turcorum per portas exierunt, et fugientes uiui euaserunt. Cassianus uero dominus illorum timens ualde gentem Francorum dedit se omnimodo fugae, cum aliis multis qui erant cum eo; et fugiendo peruenit in Tancredi terram non longe a ciuitate. Fatigati uero erant equi eorum, miseruntque se in quoddam casale et mersi sunt in unam domum. Cognouerunt ergo eum habitatores illius montaneae, scilicet Surani, et Hermenii; et confessim apprehenderunt eum, truncaueruntque caput illius, et tulerunt ante Boamundi presentiam, ut inde mererentur libertatem accipere. Balteum quoque eius et uaginam appretiauerunt sexaginta bizanteis.

Haec omnia gesta sunt tertia die intrante mense Iunio, quinta feria, III nonas Iunii. Omnes namque plateae ciuitatis iam undique erant plenaे cadaueribus mortuorum, ita ut nemo posset sufferre ibi esse prae nimiis foetoribus. Nullus uero poterat ire per semitam ciuitatis, nisi super cadauera mortuorum.

[Explicit liber VIII. Incipit liber IX.]

Liber IX

[xxi] Curbaram princeps militiae soldani Persiae dum adhuc esset Corrozanum, quantocius Cassianus ammiralius Antiochiae legationem ei misit, quo sibi succurreret in tempore oportuno, quoniam gens fortissima Francorum eum impeditum grauiter obsidebat in Antiochia; et si adiutorium ei impenderet, urbem Antiochenam illi traderet, aut eum maximo munere ditaret; cumque iam habuisset maximum exercitum Turcorum, ex longo collectum tempore, et licentiam Christianos occidendi accepisset a Calipha illorum apostolico, illico inchoauit iter longae uiae Antiochiae. Hierosolimitanus ammiralius in adiutorium cum suo exercitu uenit. Rex Damasci illuc uenit, cum maxima gente. Idem uero Curbaram congregauit innumeras gentes paganorum, uidelicet Turcos, Arabas, Saracenos, Publicanos, Azimitas, Curtos, Persas, Agulanos, et alias multas gentes innumerabiles. Et Agulani fuerunt numero tria milia; qui neque lanceas neque sagittas neque ulla arma timebant, quia omnes erant undique cooperti ferro et equi eorum, ipsique nolebant in bellum ferre arma nisi solummodo gladios.

Isti omnes uenerunt in obsidionem Antiochiae, ad dispergendum Francorum collegium. Et cum appropinquassent urbi, uenit obuiam illis Sensadolus filius Cassiani ammiralii Antiochiae, et continuo cucurrit ad Curbaram lacrimabiliter rogans eum et dicens: "Inuictissime princeps te supplex precor, quatinus modo mihi succurras, quoniam Franci undique obsident me in Antiocheno oppido, urbemque in suo tenent imperio; nosque alienare a regione Romaniae siue Syriae, adhuc autem et Corrozani, cupiunt. Omnia patrauere quae uoluerunt, patrem occidere meum, nichil aliud superest nisi ut me et te et omnes alios ex genere nostro interficiant. Ego namque iamdudum tuum exspecto auxilium, ut mihi succurras in hoc periculo." Cui ait ille: "Si uis ut ex toto corde in tuo sim proficuo, tibique fideliter in hoc succurram periculo, illud oppidum in meam trade manum; et tunc uidebis qualiter in tuo ero proficuo, idque faciam custodire meos homines." Ait illi Sensadolus: "Si potes omnes Francos occidere, michique capita eorum tradere, tibi dabo oppidum tibique faciam hominium, et in tua fidelitate custodiam illud oppidum." Cui Curbaram: "Non ita" inquit "erit; sed continuo in meam manum committe castrum." Tandem uolens siue nolens commisit illi castrum.

Tertia uero die postquam intrauimus ciuitatem, eorum precursores ante urbem precurrerunt. Exercitus autem illorum ad pontem Farreum castrametatus est; et expugauerunt turrim, et occiderunt omnes quos illic inuenierunt; et nemo euasit uiuus nisi dominus illorum quem inuenimus ligatum in uinculis ferreis, facto maiore bello. Crastina uero die moto exercitu paganorum appropinquauerunt urbi, et castrametati sunt inter duo flumina, steteruntque ibi per duos dies. Recepto itaque castro, Curbaram conuocauit unum ammiralium ex suis, quem sciebat ueracem, mitem et pacificum, et ait ulli: "Volo ut intres in fidelitatem meam custodire hoc castrum, quoniam ex longissimo tempore scio te fidelissimum, ideoque precor te ut summa cautela hoc serues oppidum." Cui ait ammiralius: "Tibi unquam de tali nolle obedi officio. Sed tamen hoc faciam, illo tenore, ut si Franci eiecerint uos de mortali prelio et uicerint, eis continuo tradam hoc castrum." Dixitque illi Curbaram:

"Tam honestum et prudentem te cognosco, ut omne quicquid boni uis agere ego consentiam."

Reuersus est itaque Curbaram ad suum exercitum; et protinus Turci deludentes Francorum collegium, detulerunt ante conspectum Curbaram quemdam uilissimum ensem rubigine tectum, et deterrium arcum ligneum, et lanceam nimis inutilem, quae abstulerant nuper pauperibus peregrinis; dixeruntque: "Ecce arma, quae attulerunt Franci obuiam nobis ad pugnam." Tunc Curbaram coepit surridere, palam dicens omnibus: "Haec sunt arma bellica et nitida, quae attulerunt Christiani super nos in Asiam, quibus putant nos et confidunt expellere ultra confinia Corrozanae, et delere omnia nostra ultra Amazonia flumina; qui propulerunt omnes parentes nostros a Romania, et Antiochia urbe regia quae est honorabile caput totius Syriae?" Mox conuocauit suum notarium, et ait: "Scribe cito plures cartas quae in Corrozania sint legendae; uidelicet Caliphae nostro apostolico, ac nostri regi domino Soldano militi fortissimo, atque omnibus prudentissimis Corrozanae militibus, salus et immensus honor. Satis sint leti et gausi iocunda concordia, et satisfacient uentribus, imperent et sermocinent per uniuersam regionem illam, ut omnino dent sese ad petulantiam et luxuriam, multosque filios patrare congaudeant, qui contra Christianos fortiter pugnare preualeant; et libenter suscipiant haec tria arma, quae olim abstulimus a Francorum turma, et discant modo quae arma attulerunt super nos gens Francigena. Adhuc quoque sciant omnes, quoniam ego cunctos Francos intus in Antiochia conclusos habeo, et castrum in mea libera teneo uoluntate, illi uero deorsum sunt in ciuitate. Habeo etiam omnes illos iam in mea manu, eosque faciam aut capitalem subire sententiam, aut deduci in Corrozanam in captiuitatem nimiam, eo quod minantur nos suis armis propulsare et expellere ab omnibus finibus nostris; ceu eiecerunt omnes parentes nostros a Romania siue Syria. Amodo iuro uobis per Machomet et per omnia deorum nomina, quoniam ante uestram non ero redditurus presentiam, donec regalem urbem Antiochiam et omnem Suriam siue Romaniam atque Bulgariam usque in Apuliam adquisiero mea forti dextera, ad deorum honorem et uestrum, et omnium qui sunt ex genere Turcorum." Sic fecit finem dictis.

[xxii] Mater uero eiusdem Curbaram quae erat in Aleph ciuitate, denuo uenit ad eum, dixitque illi lacrimabiliter: "Fili, suntne uera quae audio?" Cui ait ille: "Quae?" Et dixit illa: "Audiui quia bellum uis committere cum Francorum gente." Ait ille: "Verum omnino scias." Dixit illa: "Contestor te, fili, per omnium deorum nomina, et per tuam magnam bonitatem, ne bellum cum Francis committas, quoniam tu es miles inuictus, et te e campo ab aliquo uictore fugientem quisquam minime inuenit. Diffamata est tua militia ubique, omnesque prudentes milites auditu tuo nomine contremiscunt. Satis scimus, fili, quoniam tu es bellipotens et fortis, nullaque gens Christianorum uel paganorum ante tuum conspectum aliquam uirtutem habere potuit; sed fugiebant solummodo auditu tuo nomine, sicut oues ante leonis furorem fugiunt, ideoque obsecro te karissime fili ut meis adquiescas consiliis, et ne unquam in tuo hesites animo, aut in tuo inueniatur consilio, ut bellum uelis incipere cum Christianorum gente." Tum Curbaram materna audiens monita feroci respondit sermone: "Quid est hoc mater quod mihi refers? Puto quod insanis, aut furiis es plena. Enimuero tecum habeo plures ammirarios, quam Christiani sint sive maiores sive minores." Respondit ei mater sua: "O dulcissime fili, Christiani nequeunt uobiscum bellare, scio namque quod non ualent uobis pugnam inferre, sed deus

eorum pro ipsis cotidie pugnat, eosque die noctuque sua protectione defendit, et uigilat super eos sicut pastor uigilat super gregem suam; et non permittit eos laedi nec conturbari ab ulla gente, et quicumque uolunt eis obsistere, idem eorum deus conturbat illos, sicut ait ipse per os David prophetae: ",Dissipa gentes quae bella uolunt." Et alibi: ",Effunde iram tuam in gentes quae te non nouerunt, et in regna quae nomen tuum non inuocauerunt." Antequam uero preparati sint ad incipiendum bellum, eorum deus omnipotens et bellipotens simul cum sanctis suis omnes inimicos iam habet deuictos; quanto magis modo faciet circa uos qui eius estis inimici, et qui preparasti uos eis obsistere tota uirtute? Hoc autem, karissime, in rei ueritate scias, quoniam isti Christiani filii Christi uocati sunt; et prophetarum ore filii adoptionis et promissionis, et secundum apostolum heredes Christi sunt, quibus Christus hereditates repromissas iam donauit, dicendo per prophetas: ",A solis ortu usque ad occasum erunt termini uestri, et nemo stabit contra uos." Et quis potest his dictis contradicere uel obstare? Certe si hoc bellum contra illos incooperis, maximum tibi erit dampnum ac dedecus, et multos fideles tuos milites perdes, et uniuersa spolia quae apud te habes amittes, et nimio pauore fugiendo euerteris. Tu autem in hoc bello non morieris modo, sed tamen in hoc anno, quoniam ipse deus non statim iudicat offendentem se exerta ira, sed quando uult punit eum manifesta uindicta, ideoque timeo ne te iudicet poenali tristitia. Non morieris, inquam, modo, uerumtamen perditurus es in presentiarum habita."

Curbaram denique ualde dolens intimis uisceribus, auditis maternis sermonibus, respondit: Â'Mater karissima, quaeso te quis dixit tibi ista de gente Christiana, quod deus eorum tantum eos amet, et quod ipse pugnandi uirtutem in se retinet maximam, et quod illi Christiani uincent nos in Antiochena prelia, et quod ipsi capturi sunt nostra spolia, nosque persecuti magna uictoria; et quod in hoc anno moriturus sum morte subitanea?" Tunc respondit ei mater sua dolens: "Fili karissime, ecce sunt plus quam centum annorum tempora, de quibus inuentum est in nostra pagina et in gentilium uoluminibus, quoniam gens Christiana super nos foret uentura, et nos ubique uictura, ac super paganos regnatura; et nostra gens illis ubique erit subdita. Sed ignoro, utrum modo, an in futuro sint haec euentura. Ego utique misera sum te secuta ab Aleph urbe pulcherrima, in qua speculando atque ingeniose rimando respexi in caelorum astra, et sagaciter scrutata sum planetas, et duodecim signa, siue sortes innumeratas. In eis omnibus repperi quoniam gens Christiana nos ubique est deuictura, ideoque de te ualde timeo nimis maesta, ne ex te remaneam orbata."

Dixit illi Curbaram: "Mater karissima, dic michi omnia quae in corde meo sunt incredula." Quae ait: "Hoc, karissime, libenter faciam, si sciero ea quae tibi sunt incognita." Cui ille dixit: "Non sunt igitur Boamundus et Tancredus Francorum duci, et non eos liberant de inimicis suis? et quod ipsi manducant in uno quoque prandio duo milia uaccas et quatuor milia porcos?" Respondit mater: "Fili karissime, Boamundus et Tancredus mortales sunt sicut alii omnes, sed deus eorum ualde diligit eos praे omnibus aliis, et uirtutem preliandi dat eis praे ceteris. Nam deus illorum, est Omnipotens nomen eius, qui fecit caelum et terram et fundauit maria et omnia quae in eis sunt; cuius sedes in caelo parata in aeternum, cuius potestas ubique est metuenda." Ait filius: "Si ita est causa, cum eis preliari non desinam." Itaque audiens mater eius quod nullo modo adquiesceret consiliis suis, maestissima recessit retrorsum in Aleph, deferens secum cuncta spolia quae conducere potuit.

[xxiii] Tertia uero die armauit se Curbaram et maxima pars Turcorum cum eo, ueneruntque ad ciuitatem ex illa parte in qua erat castrum. Nos autem putantes resistere posse illis, parauimus bellum contra eos. Sed tam magna fuit uirtus illorum, quod nequiuius illis resistere, sicque coacti intrauimus in ciuitatem, quibus fuit tam mirabiliter arta et angusta porta, ut illic fuerint multi mortui oppressione aliorum. Interea alii pugnabant extra urbem, alii intus in quinta feria per totum diem usque ad uesperam. Inter haec Willelmus de Grentamenilg, et Albricus frater eius, et Wido Trursellus, et Lambertus Pauper, isti omnes timore perterriti de hesterno bello quod durauerat usque ad uesperam, nocte latenter demissi sunt per murum, fugientes pedibus contra mare, ita ut neque in manibus neque in pedibus remaneret aliquid nisi solummodo ossa. Multique alii fugerunt cum illis, quos nescio. Venientes igitur ad naues qui erant ad Portum Sancti Symeonis, dixerunt nautis: "Quid hic miseri statis? Omnes nostri mortui sunt, et nos mortem uix euasimus, quia exercitus Turcorum undique obsident alios in urbe." At illi audientes talia, stabant stupefacti, ac timore perterriti cucurrerunt ad naues et miserunt se in mare. Deinde superuenientes Turci quos inuenerunt occiderunt, et naues quae in alueo fluminis remanserant, combusserunt igni et apprehenderunt spolia eorum.

Nos denique qui remansimus nequiuius sufferre pondus armorum illorum, fecimusque murum inter nos et illos, quem custodiebamus diu noctuque. Interea tanta oppressione fuimus oppressi, ut equos et asinos nostros manducaremus.

[xxiv] Quodam uero die stantibus nostris maioribus sursum ante castellum tristibus ac dolentibus, uenit quidam sacerdos ante eos et dixit: "Seniores, si uobis placet audite rem quamdam, quam in uisione uidi. Cum nocte una iacerem in ecclesia Sanctae Mariae matris Domini nostri Iesu Christi, apparuit mihi Saluator mundi cum sua genitrice et beato Petro apostolorum principe; stetitque ante me et dixit mihi: Agnoscis me? Cui respondi: Non. His dictis, ecce apparuit integra crux in capita eius. Iterum ergo interrogauit me Dominus dicens: Agnoscis me? Cui dixi: Te alio modo non agnosco, nisi quia crucem in capite tui cerno sicut Saluatoris nostri. Qui dixit: Ego sum. Statim cecidi ad pedes eius, rogans humiliter ut subueniret nobis in oppressione illa quae super nos erat. Respondit Dominus: Bene adiuui uos, et amodo adiuuabo. Ego permisi uos habere Niceam ciuitatem, et omnia deuincere bella, et conduxi uos huc usque, et condolui uestrae miseriae quam passi fuistis in obsidione Antiochiae. Ecce in auxilio oportuno, misi uos sanos et incolumes in ciuitatem, et ecce multam prauamque dilectionem operantes cum Christianis et prauis paganis mulieribus, unde immensus foetor ascendit in caelum. Tunc alma Virgo et beatus Petrus ceciderunt ad pedes eius, rogantes eum et deprecantes, ut suum in hac tribulatione adiuuaret populum. Dixitque beatus Petrus: Domine, per tot tempora tenuit paganorum gens domum meam, in qua multa et ineffabilia mala fecerunt. Modo uero expulsis inimicis inde, Domine, letantur angeli in caelis. Dixitque mihi Dominus: Vade ergo et dic populo meo, ut reuertatur ad me, et ego reuertar ad illum, et infra quinque dies mittam ei magnum adiutorium; et cotidie decantet responsorium Congregati sunt, totum cum uersu. Seniores, si hoc non creditis esse uerum, sinite modo me in hanc scandere turrim, mittamque me deorsum; si uero fuero incolumis, credatis hoc esse uerum, sin autem ullam lesionem fuero passus, decollate me, aut in ignem proicite me."

Tunc Podiensis episcopus iussit ut adferentur euangelia et crux, quatinus iuraret ille si hoc esset uerum. Consiliati sunt omnes maiores nostri in illa hora, ut iurarent omnes sacramentum quod nullus illorum fugeret neque pro morte neque pro uita, quamdiu uiui essent. Primus dicitur iurasse Boamundus, deinde comes Sancti Egidii, et Rotbertus Nortmannus, ac dux Godefridus, et comes Flandrensis. Tancredus uero iurauit ac promisit tah modo, quia quamdiu secum quadraginta milites haberet, non solum ex illo bello sed etiam ab Hierosolimitano itinere non esset recessurus. Nimis autem exultauit Christiana congregatio, hoc audiens sacramentum.

[xxv] Erat autem ibi quidam peregrinus de nostro exercitu cui nomen Petrus, cui antequam ciuitatem intraremus apparuit sanctus Andreas apostolus dicens: "Quid agis, bone uir?" Cui ille respondit: "Tu quis es?" Dixit ei apostolus: Ego sum Andreas apostolus. Agnoscas fili, quia dum uillam intraueris, uadens ad ecclesiam beati Petri ibi inuenies lanceam saluatoris nostri Iesu Christi, ex qua in crucis pendens patibulo uulneratus fuit." Haec omnia dicens apostolus, continuo recessit.

Ipse autem timens reuelare consilium apostoli, noluit indicare nostris peregrinis. Estimabat autem se uisum uidere. Et dixit ad eum: "Domine quis hoc crediderit?" In illa uero hora accepit eum sanctus Andreas, et portauit eum usque ad locum ubi lancea erat recondita in terra.

Iterum cum essemus ita ut superius diximus, uenit sanctus Andreas rursus dicens ei: "Quare non abstulisti lanceam de terra ut ego tibi precepi? Scias reuera, quia quicunque hanc lanceam portauerit in bello, nunquam ab hoste superabitur." Petrus uero continuo reuelauit mysterium apostoli hominibus nostris. Populus autem non credebat, sed prohibebat dicens: "Quomodo possumus hoc credere?" Omnino enim erant pauentes, et protinus mori putabant. Accessit itaque ille, et iurauit hoc totum ueracissimum esse; quoniam ei sanctus Andreas bis in uisione apparuerat, eique dixerat: "Surge, uade, et dic populo Dei ne timeat, sed firmiter toto corde credat in unum uerum Deum; eruntque ubique uicturi, et infra quinque dies mandabit eis Dominus talem rem, unde laeti et gausi manebunt; et si certare uoluerint, mox ut exierint unanimiter ad bellum, omnes inimici eorum uincetur, et nemo stabit contra illos." Audientes itaque quod inimici eorum ab eis omnino essent uincendi, protinus cooperunt sese uiuificare, et confortabant se adiuicem dicentes: "Experciscimini, et estote ubique fortes ac prudentes, quoniam in proximo erit nobis Deus in adiutorium, et erit maximum refugium populo suo quem respicit in merore manentem."

[xxvi] Turci denique qui erant seorsum in castello, undique tam mirabiliter coangustabant nos, ut quadam die incluserint tres milites ex nostris in turrim quae erat ante castellum. Exierant namque gentiles et irruerant super illos tam acriter, ut nequirent sufferre pondus eorum. Duo ex militibus exierunt de turri uulnerati, et tertius per totum diem uiriliter defendebat se de Turcorum inuasione, tam prudenter ut in ipsa die duos Turcos strauerit super aditum muri caesis hastis. Nam tres hastae detruncatae sunt illi illa die in manibus suis. Illi uero acceperunt capitalem sententiam. Erat nomen illi Hugo Insanus, de exercitu Gosfredi de Monte Scabioso.

Videns autem uir uenerabilis Boamundus quia nullatenus posset conducere gentes sursum in castellum ad bellum - nam qui erant inclusi in domibus timebant alii fame alii timore Turcorum - iratus est ualde iussitque confestim mitti ignem per urbem, in illa parte in qua erat Cassiani palatium. Quod uidentes illi qui erant in ciuitate,

dereliquerunt domos et omnia quae habebant fugiebantque alii in castellum, alii ad portam comitis Sancti Egidii, alii ad portam ducis Godefridi, unusquisque ad suam gentem. Tunc nimia tempestas uenti subito surrexit, ita ut nemo posset se regere rectum. Boamundus itaque uir sapiens contristatus est ualde, timens pro ecclesia sancti Petri et sanctae Mariae aliisque ecclesiis. Haec ira durauit ab hora tertia usque in mediam noctem, fueruntque crematae fere duo milia ecclesiarum et domorum. Veniente autem media nocte, statim omnis feritas ignis cecidit.

Itaque Turci habitantes in castello, intra urbem bellabant nobiscum die noctuque, et nichil aliud disseparabat nos nisi arma. Videntes hoc nostri, quod non possent diu haec pati, quoniam qui habebat panem non licebat ei manducare, et qui habebat aquam non licebat bibere, fecerunt murum inter nos et ipsos petra et calce, et edificauerunt castellum et machinas, ut securi essent. Pars autem Turcorum remansit in castello agendo nobiscum bellum, alia uero pars hospitata erat prope castellum in una ualle.

Nocte quippe superueniente, ignis de caelo apparuit ab occidente ueniens, et appropinquans cecidit intra Turcorum exercitus. Vnde mirati sunt et nostri et Turci. Mane autem facto, tremefacti Turci fugerunt omnes pariter pro ignis timore, ante domini Boamundi portam, illicque hospitati sunt. Pars uero quae erat in castello, agebat bellum cum nostris die noctuque, sagittando, uulnerando, occidendo. Alia autem pars undique obsedit ciuitatem, ita ut nullus nostrorum ciuitatem auderet exire aut intrare, nisi nocte et occulte. Ita uero eramus obsessi et oppressi ab illis, quorum numerus fuit innumerabilis. Isti autem prophani et inimici Dei ita tenebant nos inclusos in urbe Antiochiae, ut multi mortui fuerint fame, quoniam paruus panis uendebatur uno bisantio. De uino non loquar. Equinas namque carnes aut asininas manducabant, et uendebant. Vendebant quoque gallinam quindecim solidis, ouum duobus solidis, unam nucem uno denario; omnia enim ualde erant cara. Folia fici et uitis et cardui, omniumque arborum coquebant et manducabant, tantam famem immensam habebant. Alii coria caballorum et camelorum et asinorum atque boum seu bufalorum sicca decoquebant, et manducabant. Istan et multas anxietates ac angustias quas nominare nequeo passi sumus pro Christi nomine et Sancti Sepulchri uia deliberanda. Tales quoque tribulationes et fames ac timores passi sumus per uiginti sex dies.

[xxvii] Imprudens itaque Stephanus Carnotensis comes quem omnes nostri maiores elegerant ut esset ductor nostrorum, maxima finxit se deprimi infirmitate priusquam Antiochia esset capta, turpiterque recessit in aliud castrum, quod uocatur Alexandreta. Nos itaque cotidie prestolabamur eum quatinus subueniret nobis in adiutorio qui eramus inclusi in urbe, salutifero carentes auxilio. At ille postquam audiuit gentem Turcorum circumcingentem et obsidentem nos, latenter ascendit super proximam montaneam quae stabat prope Antiochiam uiditque innumerabilia tentoria, uehementique captus timore recessit, fugitque festinanter cum suo exercitu. Veniens autem in suum castrum, exspoliauit illud, et celeri cursu retro uertit iter. Postquam uero uenit obuiam imperatori ad Philomenam, seorsum uocauit eum secreto dicens: "Scias reuera quoniam capta est Antiochia, et castrum minime captum est; nostrique omnes graui oppressione obsessi sunt et, ut puto, a Turcis modo interficti sunt. Reuertere ergo retro quam citius potes, ne et ipsi inueniant te et hanc

gentem quam tecum ducis." Tunc imperator timore perterritus, clam uocauit Widonem fratrem Boamundi et quosdem alios, et ait illis: "Seniores, quid faciemus? Ecce omnes nostri districta obsessione impediti sunt, et forsitan in hac hora omnes a Turcorum manibus mortui sunt, aut in captiuitatem ducti, sicut iste infelix comes turpiter fugiens narrat. Si uultis reuertamur retro celeri cursu, ne et nos moriamur repentina morte quemadmodum et illi mortui sunt."

Cum Wido miles honestissimus talia audisset, cum omnibus statim coepit plorare, atque uehementissimo ululatu plangere; unaque uoce omnes dicebant: "O Deus uerus, trinus et unus, quamobrem haec fieri permisisti? Cur populum sequentem te in manibus inimicorum incidere permisisti et uiam tui itineris tuique Sepulchri liberare uolentes tam cito dimisisti? Certe si uerum est hoc uerbum quod ab istis nequissimis audiuius, nos et alii Christiani derelinquemus te; nec te amplius rememorabimur, et unus ex nobis non audebit ulterius inuocare nomen tuum." Et fuit hic sermo ualde mestissimus in tota militia, ita ut nullus illorum siue episcopus siue abbas, seu clericus seu laicus, auderet inuocare Christi nomen per plures dies. Nemo namque poterat consolari Widonem plorantem et ferientem se manibus suosque frangentem digitos et dicentem: Â'Heu mihi domine mi Boamunde honor et decus totius mundi, quem omnis mundus timebat et amabat! Heu mihi tristis! Non merui dolens tuam uidere honestissimam speciem, qui nullam rem magis uidere desiderabam. Quis mihi det ut ego moriar pro te, dulcissime amice et domine? Cur ego ex utero matris meae exiens, non statim mortuus fui? Cur ad hanc lugubrem diem perueni? Cur non demersus fui in mare? Cur non ex equo cecidi fracto collo, ut recepissem repentinum interitum? Vtinam tecum recepissem felix martyrium, ut cernerem te gloriosissimum suscepisse finem!" Cumque omnes cucurrisse ad eum quatinus consolarentur eum, ut iam finem daret planctui, in se reuersus ait: "Forsitan creditis huic semicano imprudenti militi. Vnquam uere non audiui loqui de militia aliqua, quam idem fecisset. Sed turpiter et inhoneste recedit, sicut nequissimus et infelix, et quicquid miser nuntiat, sciatis falsum esse."

Interea iussit imperator suis hominibus dicens: "Ite et conducite omnes homines istius terrae in Bulgariam, et explorate et deuastate uniuersa loca, ut cum uenerint Turci, nichil possint hic reperire." Voluissernt noluissent nostri reuersi sunt retrorsum, dolentes amarissime usque ad mortem; fueruntque mortui multi ex peregrinis languentes nec ualentibus fortiter militiam sequi; remanebantque morientes in uia. Omnes uero alii reuersi sunt Constantinopolim.

[xxviii] Nos igitur auditis sermonibus illius qui nobis Christi reuelationem retulit per uerba apostoli, statim festinantes peruenimus ad locum in sancti Petri ecclesia, quem ille demonstrauerat. Et foderunt ibi tredecim homines a mane usque ad uesperam, sicque homo ille inuenit lanceam sicut indicauerat. Et acceperunt illam cum magno gaudio et timore, fuitque orta immensa laetitia in tota urbe. Ab illa hora accepimus inter nos consilium belli. Porro statuerunt omnes maiores nostri concilium, quatinus nuntium mitterent ad inimicos Christi Turcos, qui per aliquem interpretem interrogaret eos securo eloquio dicens quamobrem superbissime in Christianorum introissent terram, et cur castrametati sint, et quare Christi seruos occidunt et conquassent. Cumque iam finis esset dictis, inuenerunt quosdam uiros, Petrum scilicet Heremitam et Herluinum, illisque dixerunt haec omnia: "Ite ad execratum

Turcorum exercitum, et diligenter narrate eis haec omnia, interrogantes eos, cur audacter et superbissime introierint terram Christianorum et nostram."

His dictis, recesserunt nuntii, ueneruntque ad prophanum collegium, dicentes omnia missa uerba Curbaram et aliis, ita: "Satis multumque mirantur nostri maiores et seniores, quamobrem temere ac superbissime in Christianorum introistis terram et illorum. Putamus forsitan et credimus, quia ideo huc uenistis, quoniam per omnia uultis effici Christiani; aut propterea igitur huc uenistis, ut per omnia Christianos afficiatis? Rogant uos igitur omnes pariter nostri maiores, ut uelociter recedatis a terra Dei et Christianorum, quam beatus Petrus apostolus iam dudum predicando ad Christi culturam conuertit. At illi permittunt adhuc uobiscum deduci omnia uestra, scilicet equos et mulos, et asinos et camelos; oves quoque et boues, et omnia alia ornamenta permittunt uobiscum quocumque uolueritis ferre."

Tunc Curbaram princeps militiae Soldani Persidis, cum omnibus aliis, pleni superbia feroci responderunt sermone: "Deum uestrum et uestram christianitatem nec optamus nec uolumus, uosque cum illis omnino respuimus. Huc usque iam uenimus eo, quod ualde miramur quamobrem seniores ac maiores quos memoratis, cur terram quam abstulimus effeminatis gentibus illi uocant esse suam. Vultis namque scire quid uobis dicimus? Reuertimini ergo quantocius, et dicite uestris senioribus, quia si per omnia cupiunt effici Turci, et deum uestrum quem uos inclini colitis abnegare uolunt et leges uestras spernere, nos illis hanc et satis plus dabimus de terra, et ciuitates et castella adhuc autem quod nemo uestrorum remanebit pedes, sed erunt omnes milites sicut et nos sumus; et habebimus semper eos in summa amicitia. Sin autem, sciant se per omnia capitalem subire sententiam, aut deducti in uinculis Corrozanam in captiuitate perpetua seruient nobis nostrisque infantibus per sempiterna tempora."

Nuntii uero nostri uelociter reuersi sunt retrorsum, referentes omnia quae respondisset eis gens crudelissima Fertur Herluinus utramque scisse linguam, fuitque interpres Petro Heremitae. Interea exercitus noster in utraque tremefactus parte, ignorabat quid faceret. Ex una enim parte coangustabat eos crucialis fames, in alia constringebat timor Turcorum.

[xxix] Tandem triduanis expletis ieuniis, et processionibus celebratis, ab una ecclesia in aliam, de peccatis suis confessi sunt et absoluti, fideliterque corpori et sanguini Christi communicauerunt, datusque elemo sinis fecerunt celebrari missas. Deinde stabilitae sunt sex acies ex eis, intra ciuitatem. In prima uero acie in primo uidelicet capite fuit Hugo Magnus, cum Francigenis et Flandrensi comite. In secunda dux Godefridus cum suo exercitu. In tertia uero fuit Rotbertus Nortmannus cum suis militibus. In quarta fuit Podiensis episcopus, portans secum lanceam Saluatoris cum sua gente, et cum exercitu Raimundi comitis Sancti Egidii; qui remansit sursum custodire castellum pro timore Turcorum, ne descenderent in ciuitatem. In quinta acie fuit Tancredus, cum sua gente. In sexta fuit Boamundus, cum sua militia. Episcopi nostri et presbyteri et clerici ac monachi, sacris uestibus induiti, nobiscum exierunt cum crucibus, orantes et deprecantes Dominum, ut nos saluos faceret et custodiret et ab omnibus malis eriperet. Alii stabant super murum portae, tenentes sacras cruces in manibus suis, signando et benedicendo nos. Ita nos ordinati et signo crucis protecti, exiuiimus per portam quae est ante machomariam.

Postquam Curbaram uidit Francorum acies tam pulchre ordinatas exire unam post

aliam, dixit: "Sinite eos exire, ut melius eos habeamus in potestate nostra." Postquam uero fuerunt foris de urbe, uiditque Curbaram ingentem Francorum gentem, ualde timuit. Mox mandauit suo ammiralio qui omnia habebat in custodia, ut si ille uideret ignem accensum in capite hostis, protinus preconari faceret, omnem exercitum redire, sciens Turcos amisisse bellum.

Continuo Curbaram coepit paulatim redire retro, contra montaneam; nostrique paulatim persequebantur illos. Denique diuisi sunt Turci; una pars iuit contra mare, et alii steterunt illic, putantes nostros includere inter se. Videntes hoc nostri, fecerunt similiter. Illic fuit ordinata acies septena, ex acie ducis Godefridi et comitis Nortmanniae, et caput illius fuit comes Rainaldus. Hanc miserunt obuiam Turcis, qui ueniebant a mari. Turci autem preliati sunt cum illis, et sagittando multos occiderunt ex nostris. Aliae autem turmae ordinatae sunt a flumine usque ad montaneam, quod distat per duo miliaria. Cooperunt uero turmae ex utraque parte exire, nostrosque undique circumcingere, iaculando, sagittando, uulnerando.

Exibant quoque de montaneis innumerabiles exercitus, habentes equos albos, quorum uexilla omnia erant alba. Videntes itaque nostri hunc exercitum, ignorabant penitus quid hoc esset et qui essent; donec cognouerunt esse adiutorium Christi, cuius ductores fuerunt sancti, Georgius, Mercurius et Demetrius. Hec uerba credenda sunt, quia plures ex nostris uiderunt.

Turci autem qui stabant in parte maris uidentes quod non possent sufferre amplius, miserunt ignem in herbam, ut uidentes illi qui erant in tentoriis fugerent. At illi cognoscentes illud signum, arripuerunt omnia honorabilia spolia, et fugerunt. Nostri uero paulatim militabant ubi maxima uirtus eorum erat, scilicet ad tentoria illorum. Dux Godefridus, et Flandrensis comes, et Hugo Magnus, equitabant iuxta aquam, ubi uirtus illorum erat. Isti primitus signo crucis muniti, unanimiter inuaserunt illos. Videntes hoc aliae acies, simili modo inuaserunt illos. Exclamauerunt autem Persae et Turci. Nos itaque, inuocantes Deum uiuum et uerum, equitauiimus contra illos; et in nomine Iesu Christi et Sancti Sepulchri incepimus bellum, et Deo iuuante deuicimus eos.

Turci uero tremefacti arripuerunt fugam, nostrique illos persequebantur iuxta tentoria. Itaque milites Christi magis amabant persecui illos, quam ulla spolia quaerere. Et persecuti sunt eos usque ad pontem Farreum, ac deinde usque ad castellum Tancredi. Illi uero dimiserunt ibi papiliones suos, et aurum, et argentum, multaque ornamenta; oues quoque et boues, equos et mulos, camelos et asinos, frumentum et uinum, farinam et alia multa quae nobis erant necessaria.

Hermenii et Surani qui habitabant in illis partibus, audientes nos superasse Turcos, cucurrerunt ad montaneam obuiantes illis; et quantos comprehendenterunt ex illis interfecerunt. Nos autem reuertentes ad ciuitatem cum magno gaudio, laudauiimus et benediximus Deum, qui uictoriam dedit populo suo.

Ammiralius itaque qui castellum custodiebat, uidens Curbaram et omnes alios fugientes e campo ante Francorum exercitum, magis timuit. Statim uero cum magna festinatione petebat Francorum uexilla. Comes igitur Sancti Egidii qui illic astabat ante castellum, iussit ei portari suum uexillum. Ille autem accepit illud, et diligenter misit in turrim. Statim dixerunt Longobardi, qui illic stabant: "Hoc uexillum non est

Boamundi." Interrogauit ille et dixit: "Cuius est?" Qui dixerunt: "Sancti Egidi comitis." Accessit ille, et apprehenso uexillo reddidit comiti. Ipsa uero hora uenit uir uenerabilis Boamundus, deditque illi suum uexillum. Ille autem illud accepit cum magno gaudio; et iniit pactum cum domino Boamundo, ut pagani qui uellent Christianitatem recipere essent cum eo, et qui uellent abire, sanos et absque ulla laesione abire permitteret. Consensit ille quicquid ei ammiralius postulauit, et continuo misit suos seruientes in castellum. Non post multos dies baptizatus est ammiralins, cum illis qui Christum recognoscere maluerunt. Illos uero qui suas uoluerunt tenere leges, fecit dominus Boamundus conduci in Saracenorum terram.

Hoc bellum factum est in IIII kalendas Iulii, uigilia apostolorum Petri et Pauli; regnante domino nostro Iesu Christo, cui est honor et gloria in sempiterna secula. Amen.

[Explicit liber IX. Incipit liber X.]

Liber X

[xxx] Et cum iam essent omnes inimici nostri (Deo trino et uno summoque dignas referimus grates) per omnia deuicti huc illucque fugientes, alii semiuiui, alii uulnerati, in uallibus et in nemoribus et in aruis et in uiis deficiebant mortui. Populus uero Christi uictores scilicet peregrini, reuersi sunt gaudentes felici triumpho deuictis hostibus in ciuitatem. Statim omnes nostri seniores, uidelicet dux Godefridus, comes Sancti Egidii Raimundus, Boamundus, et comes Nortmanniae, comesque Flandrensis, et alii omnes miserunt nobilissimum militem Hugonem Magnum imperatori Constantinopolim, ut ad recipiendam ciuitatem ueniret, et conuentiones quas erga illos habebat expleret. Iuit, nec postea rediit.

Postquam uero haec omnia facta sunt, congregati omnes nostri maiores ordinauerunt concilium, quemadmodum hunc feliciter ualerent conducere et regere populum, donec peragerent iter Sancti Sepulchri, pro quo hucusque multa erant passi pericula. Inuentum est in concilio, quia nondum auderent intrare in paganorum terram, eo quod ualde in aestiuo tempore est arida et inaquosa; ideoque acceperunt terminum attendendum ad kalendas Nouembbris. Denique diuisi sunt seniores, et unusquisque profectus est in terrain suam, donec esset prope terminus eundi. Feceruntque principes preconari per urbem uniuersam, ut si forte aliquis egens illic adasset et auro argentoque careret, conventione facta cum illis remanere si uellet, ab eis cum gaudio retentus esset.

Erat autem ibi quidam miles de exercitu comitis Sancti Egidii, cui nomen Raimundus Piletus. Hic plurimos retinuit homines, milites ac pedites. Egressus est ille cum collecto exercitu ut uiriliter introiit in Saracenorum terram, et profectus est ultra duas ciuitates et peruenit ad quoddam castrum cui nomen Talamania. Habitatores castri, scilicet Suriani, confestim sua sponte se tradiderunt ei. Cumque omnes essent ibi fere per octo dies, nuntii uenerunt ad eum dicentes quoniam hic prope nos est castrum Saracenorum multitudine plenum. Ad hoc castrum illico ierunt Christi milites peregrini, et undique inuaserunt illud, quod continuo ab illis captum est Christi adiutorio. Apprehenderunt igitur omnes illius loci colonos, et qui christianitatem recipere noluerunt, occiderunt; qui uero Christum recognoscere maluerunt, uiuos conseruauerunt. Reuersi sunt itaque hoc peracto nostri Franci cum magno gaudio ad prius castrum. Tertia uero die exierunt et uenerunt ad quamdam urbem cui nomen Marra, quae illic erat prope illos. Erant autem ibi multi Turci congregati, et Saraceni ab Aleph ciuitate, et ab omnibus urbibus et castris quae circa illam sunt. Exierunt ergo barbari contra illos ad bellum, nostrique aestimantes luctari cum illis preliando, coegerunt eos in fugam; et tamen reuersi per totum diem inuadebant nostros adinuicem, et usque ad uesperam perdurauit illa inuasio. Aestus namque erat immensus. Nequibant iam nostri sufferre tantam sitim, quoniam nullatenus ibi ad bibendum inuenire aquam poterant; uoluerunt tamen ad illorum castrum secure redire. Pro illorum enim peccatis Suriani et minuta gens nimio pauore correpti, mox cooperunt uiam carpere retrorsum. Vt autem Turci uiderunt illos retrocedentes, statim cooperunt illos persequi, et uictoria illis ministrabat uires. Multi namque ex ipsis reddiderunt animas Deo, cuius amore illic congregati fuerant. Haec occisio facta est

quinto die in mense Iulio. Reuersi sunt autem Franci illi qui remanserant in suum castrum; et fuit ibi Raimundus cum sua gente per plures dies.

Alii uero qui in Antiochia remanserant steterunt in ea cum gaudio et laetitia magna, quorum rector et pastor extitit Podiensis episcopus. Qui nutu Dei graui aegritudine captus est; et ut Dei uoluntas fuit migrauit ab hoc saeculo, et in pace requiescens obdormiuit in Domino, in solemnitate scilicet sancti Petri quae dicitur Ad Vincula. Vnde magna angustia et tribulatio immensusque dolor fuit in tota Christi militia, quia ille erat sustentamentum pauperum, consilium diuitum, ipseque ordinabat clericos, predicabat et summonebat milites, dicens quia: „Nemo ex uobis saluari potest nisi honorificet pauperes et reficiat, uosque non potestis saluari sine illis, ipsique uiuere nequeunt sine uobis. Oportet igitur ut ipsi cotidiana supplicatione pro uestris orent delictis Deum, quem in multis cotidie offenditis. Vnde uos rogo ut pro Dei amore eos diligatis, et in quantum potestis eos sustentetis.”

[xxxii] Non post multum uero temporis uenit uir uenerabilis Raimundus comes de Sancto Egidio, et intrauit in Saracenorum terram, et peruenit ad quamdam urbem quae uocatur Albara, quam inuasit una cum suo exercitu, eamque continuo cepit; et occidit omnes Saracenos et Saracenas, maiores et minores, quos ibi repperit. Quam postquam suo continuuit imperio, ad Christi reuocauit fidem; quae siuitque consilium a suis sapientissimis uiris, ut episcopum in hac urbe deuotissime preordinari faceret, qui illam ad Christi cultum fideliter reuocaret, et de domo diabolica templum Deo uiuo et uero et oracula sanctorum consecraret. Nouissime elegerunt quemdam honorabilem ac sapientissimum uirum et duxere illum in Antiochiam ad consecrandum. Factumque est ita. Alii autem qui in Antiochia remanserant, fuerunt ibidem cum gaudio et laetitia.

Appropinquante uero termino uidelicet festo Omnium Sanctorum, regressi sunt omnes maiores nostri in unum, in Antiochiam, omnesque simul cooperunt quaerere qualiter Sancti Sepulchri iter ualerent peragere, dicentes, quoniam appropinquauerat eundi terminus, nulla erat hora conturbandum amplius. Boamundus autem quaerebat cotidie conuentione quam omnes seniores olim habuerant ei in reddendam ciuitatem; sed comes Sancti Egidii ad nullam conuentione uolebat se emollire erga Boamundum, eo quod timebat se peierare erga imperatorem. Tamen sepe fuerunt congregati in ecclesia sancti Petri, ad faciendum quod iustum erat. Boamundus recitauit suam conuentione, suumque ostendit compotum. Comes Sancti Egidii similiter sua patefecit uerba, et iusiurandum quod fecerat imperatori, per consilium Boamundi. Episcopi, et dux Godefridus, Flandrensisque comes, et comes de Nortmannia, aliique seniores diuisi sunt ab aliis, et intrauerunt ubi est cathedra sancti Petri, ut ibi iudicium inter utrumque discernerent. Postea uero timentes ne Sancti Sepulchri uia proturbaretur, noluerunt aperte dicere iudicium. Ait denique comes Sancti Egidii: „Priusquam uia Sancti Sepulchri remaneat, si Boamundus nobiscum uenire uoluerit, quicquid nostri pares uidelicet dux Godefridus et Flandrensis comes et Rotbertus Nortmannus, aliique seniores laudauerint, ego fideliter consentiam, salua fidelitate imperatoris.” Hoc totum laudauit Boamundus, et promiserunt ambo in manibus episcoporum, quod nullo modo per se uia Sancti Sepulchri deturbaretur. Tunc accepit Boamundus consilium cum suis hominibus, quomodo muniret castrum de alta montanea, hominibus et uictu. Similiter comes Sancti Egidii accepit consilium

cum suis, quomodo muniret palatum Cassiani ammiralii, et turrim quae est super portam pontis qui est ex parte portus sancti Symeonis, muniret inquam hominibus et uictu qui non deficeret longo tempore.

[xxxii] Status Urbis. Haec urbs Antiochia scilicet ualde est pulchra et honorabilis, quia infra muros eius sunt quatuor montaneae maxima et nimis altae. In altiota quoque est castellum aedificatum mirabile, et nimis forte. De deorsum est ciuitas honorabilis et conueniens, omnibusque ornata honoribus, quoniam multae ecclesiae sunt in ea aedificatae. Tercenta et sexaginta monasteria in se continet. Sub suo iugo continet patriarcha centum quinquaginta tres episcopos.

Clauditur ciuitas duobus muris. Maior quoque ualde est altus et mirabiliter latus, magnisque lapidibus compositus; in quo sunt ordinatae quater centum et quinquaginta tress; modisque omnibus est ciuitas formosa. Ab oriente, clauditur quatuor magnis montaneis. Ab occidente, secus muros urbis fluit quoddam flumen, cui nomen Farfar. Quae ciuitas magnae auctoritatis est. Nam eam prius septuaginta quinque reges constituerunt, quorum fuit caput Antiochus rex, a quo dicitur Antiochia. Istam ciuitatem tenuerunt Franci obsessam, per octo menses et unum diem. Postea fuerunt intus inclusi per tres ebdomadas a Turcis et ab aliis paganis quorum numero nunquam fuit maior congregatio hominum, uel Christianorum uel paganorum. Tamen adiutorio Dei et Sancti Sepulchri deuictis illis a Christianis Dei, requieuimus cum gaudio et letitia magna in Antiochia, per quinque menses et octo dies.

[xxxiii] Quibus expletis, mense Nouembrio discessit Raimundus comes Sancti Egidii cum suo exercitu ab Antiochia, uenitque per unam ciuitatem, quae uocatur Rugia, et per aliam quae dicitur Albaria. Quarto uero die exeunte Nouembrio peruenit ad Marram ciuitatem, in qua maxima multitudo Saracenorum et Turcorum et Arabum aliorumque paganorum est congregata, ipseque comes in crastinum inuasit eam. Non post multum uero temporis Boamundus cum suo exercitu secutus est comites, et applicitus est cum eis in die dominica. Secunda uero feria nimis fortiter inuaserunt undique ciuitatem, et tam acriter tamque fortiter, ut scalae starent erectae ad murum. Sed tam maxima uirtus paganorum erat, quod illa die nichil eos offendere aut nocere potuerunt. Videntes autem seniores quia nichil agere poterant, et frustra laborabant, facit Raimundus comes de Sancto Egidio fieri quoddam ligneum castrum forte et altum. Quod castrum ingeniatum et aedificatum erat super quatuor rotas; super quod stabant plures milites, et Eurardus Venator tubam fortiter sonans. Subter uero erant armati milites, qui deduxerunt castrum usque prope urbis murum iuxta turrim quamdam. Quod uidens gens pagana, statim fecerunt instrumentum quo iactabant maximos lapides super castrum, ita ut pene nostros milites occiderent. Iaciebant quoque grecos ignes super castrum, putantes illud ardere et deuastari. Sed Deus omnipotens noluit ut castrum arderet hac uice. Supereminebat uero omnes muros ciuitatis. Milites igitur nostri qui erant in superiori solario, uidelicet Willelmus de Monte Pislerio et alii multi, iactabant immensos lapides super illos qui stabant in muro urbis, et ita percutiebant eos super clipeos, ut clipeus et inimicus caderent deorsum in ciuitatem in mortem. Ita faciebant isti, alii uero tenebant in hastis honorabilia signa, et cum lanceis et hamis ferreis putabant eos trahere ad se, et sic preliati sunt usque ad uesperam. Retro castrum stabant presbyteri, clerici, sacris

uestibus induiti, orantes et obsecrantes Deum ut suum defenderet populum, et Christianitatem exaltaret, ac paganismum deponeret.

In alia uero parte certabant nostri milites cotidie cum illis, erigentes scalas ad murum urbis, sed uirtus paganorum erat tanta, ut nichil proficere nostri possent. Tamen Gulferius de Daturre primus ascendit per scalam in murum, sed statim fuit fracta scala pro multitudine aliorum; tamen ascendit ipse cum aliquantis supra murum. Illi autem qui ascenderant, expediebant circa illos murum. Alii quoque inuenierunt aliam scalam, erexeruntque eam festinanter ad murum, et ascenderunt per eam multi milites et pedites, statimque ascenderunt super murum. Saraceni igitur tam robuste inuaserunt illos per murum et per terram, sagittando et spiculando comminus cum suis lanceis; ut multi ex nostris timore perterriti demitterent se per murum. Tamdiu uero illi prudentissimi uiri qui remanserant in muro sufferebant illorum persecutionem, quamdui alii qui subter castrum erant foderunt murum urbis. Videntes uero Saraceni quod nostri fodissent murum, statim timore perterriti inierunt fugam in ciuitatem. Hoc totum factum est in die sabbati ad horam uesperi occidente sole, undecima die intrante Decembri.

Boamundus igitur fecit per interpretem loqui Saracenis maioribus, ut ipsi cum suis mulieribus et infantibus aliisque substantiis mitterent se in unum palatium quod est supra portam, ipseque defenderet eos de mortali sententia. Intrauerunt uero omnes nostri in ciuitatem, et quicquid boni inuenierunt in domibus et in foueis, hoc unusquisque ad suum continebat proprium. Facto autem die, ubicunque reperiebant quemquam illorum siue masculum siue feminam, occidebant. Nullus angulus ciuitatis deerat uacuus Saracenorum cadaueribus, uixque poterat aliquis per uias ire ciuitatis, nisi calcando super Saracenorum cadauera. Boamundus denique illos quos iusserat in palatium intrare apprehendit, illisque abstulit omnia quae habebant, uidelicet aurum, argentum, aliaque ornamenta; alios uero fecit occidi, alios autem iussit conduci ad uendendum Antiochiae.

Mora autem Francorum fuit in illa urbe, per unum mensem et quatuor dies; in qua fuit mortuus Oriensis episcopus. Fuerunt ibi ex nostris qui illic non inuenierunt sicuti opus eis erat, tantum ex longa mora, quantum ex distinctione famis, quia foris nequierant aliquid inuenire ad capiendum, sed scindebant corpora mortuorum, eo quod in uentribus eorum inueniebant bisanteos reconditos; alii uero caedebant carnes eorum per frusta, et coquebant ad manducandum.

[xxxiii] Boamundus autem non potuit apud comitem Sancti Egidii concordari super id quod petebat, iratusque reuersus est Antiochiam. Comes igitur Raimundus non diu moratus mandauit per suos legatos Antiochiae, duci Godefrido et Flandrensi comiti ac Rotberto Nortmanno et Boamundo, ut ipsi uenirent ad Rugiam ciuitatem loqui cum eo. Veneruntque illuc omnes seniores feceruntque concilium quomodo honeste possent tenere uiam Sancti Sepulchri pro qua moti sunt et huc usque peruentum sit. Nequierunt concordare Boamundum cum Raimundo, nisi Raimundus comes redderet Antiochiam ei. Noluit comes ad hoc assentire, pro fiducia quam fecerat imperatori. Comites denique et dux reuersi sunt in Antiochiam una cum Boamundo. Comes uero Raimundus reuersus est ad Marram, ubi peregrini erant. Mandauit quoque suis militibus honestare palatium et castellum quod erat supra portam pontis ciuitatis.

Videns autem Raimundus quod nullus seniorum uoluisset causa eius ire in uiam Sancti Sepulchri, exiuit nudis pedibus de Marra decima tertia die intrante Ianuario, et peruenit usque Capharda, fuitque ibi per tres dies. Illic adiunxit se comes Normanniae comiti Raimundo. Rex autem Caesareae multotiens mandauerat per suos nuntios comiti Marrae et Caphardae quod cum eo pacem uellet habere, et de suo precium ei daret; et Christianos peregrinos diligeret, fiduciamque faceret quia quantum continet eius imperium, peregrinis non esset offendiculum; et mercatum de equis et de corporalibus alimentis daret gaudenter. Exierunt autem nostri et uenerunt hospitari iuxta Caesaream, super fluum Farfar. Cumque uidisset rex Caesareae contubernium Francorum tam prope ciuitatem hospitatum esse, doluit animo, et iussit illis deuetari mercatum, nisi discederent a ciuitatis confinio. Crastina uero die misit cum illis duos Turcos suos uidelicet nuntios, qui eis monstrarent fluminis uadum, eosque conducerent ubi inuenire possent ad capiendum. Denique uenerunt in uallem quamdam subter quoddam castrum, ibique depredati sunt plus quam quinque animalium milia, et satis frumenti atque alia bona, unde ualde fuit refecta tota Christi militia. Tamen illud castrum reddidit se comiti, eique dedit equos et aurum purissimum; et iurauerunt sua lege quod peregrinis nil exinde fieret mali. Fuimusque ibi per quinque dies. Egressi etenim inde peruenimus gaudentes hospitari ad quoddam Arabum castrum. Exiuit igitur dominus castri, et concordatus est cum comite. Exeentes uero inde, peruenimus ad quamdam ciuitatem pulcherrimam et omnibus bonis refertam, in quadam ualle sitam, nomme Kephaliam. Habitatores uero illius audientes Francos uenisce dimiserunt urbem, et ortos plenos oleribus, et domos plenas alimentis corporalibus, et fugerunt. Tertia die egressi ab illa urbe, transiuimus per altam et immensam montaneam, et intrauimus in uallem de Sem; in qua erat maxima ubertas omnibus bonis; fuimusque ibi per dies fere quindecim. Hic prope nos erat quoddam castrum, in quo erat congregata maxima paganorum multitudo. Quod castrum aggressi sunt nostri, idque fortiter superassent, nisi Saraceni iactassent foras immensas turmas animalium. Reuersi sunt nostri, deferentes omnia bona ad sua tentoria. Summo autem diluculo collegerunt nostri suos papilones, et uenerunt obsidere idem castrum, ibique putabant extendere tentoria; sed genus pagana omnino dedit sese fugae, ac dimiserunt castrum uacuum. Intrantes autem nostri inuenerunt ibi omnem abundantiam frumenti, uini, farinae, olei, et quicquid eis opus erat. Illic deuotissime celebrauimus festiuitatem purificationis sanctae Mariae, ueneruntque illic nuntii de Camela ciuitate. Rex namque illius mandauit comiti equos, aurum, et pactus est cum eo quod Christianos nullomodo offenderet, sed eos diligenter et honoraret. Rex autem Tripolis mandauit comiti, quoniam cum eo fideliter pactum iniret et amicitiam haberet, si ei placeret, misitque illi equos decem et quatuor mulas et aurum. Sed comes ait nullomodo cum eo pacem se recipere, nisi ille Christianus efficeretur.

Exeentes autem de optima ualle, peruenimus ad quoddam castrum quod dicitur Archæ, in die lunæ scilicet secunda feria mediante Februario; circa quod tentoria tetendimus. Quod castrum plenum erat innumerabili gente paganorum, uidelicet Turcorum, Saracenorum, Arabum, Publicanorum, et mirabiliter munierant castrum illud et defendebant se fortiter. Tunc exeentes quatuordecim ex nostris militibus, ierunt contra Tripolim urbem, quae erat secus nos. Isti quatuordecim inuenerunt circa sexaginta Turcos, et alias quosdam; qui habebant ante se collectos homines, et

animalia plus quam mille quingenta. Qui signo crucis muniti inuaserunt eos, et Deo iuuante mirabiliter superauerunt illos, et occiderunt sex ex illis, apprehenderuntque sex equos.

De exercitu uero Raimundi comitis exierunt Raimundus Piletus, et Raimundus uicecomes de Tentoria, ueneruntque ante Tortosam ciuitatem, et fortiter aggrediuntur illam. Quae nimis erat munita multitudine paganorum. Sero autem iam facto, secesserunt in quemdam angulum, ibique hospitati sunt; feceruntque innumerabiles ignes, ita ut tota hostis esset ibi. Pagani uero timore perterriti nocte latenter fugerunt, et dimiserunt ciuitatem plenam omnibus bonis, quae etiam ualde optimum portum secus mare in se retinet. Crastina autem die uenerunt nostri, ut undique inuaderent illam inueneruntque illam uacuam. Et intrantes habitauerunt in ea usque dum obsessio esset ante urbem Archae. Est prope istam alia urbs, quae dicitur Maraclea. Amiralius qui eam regebat pactus est cum nostris, et misit nostros in ciuitatem, nostraque uexilla.

[xxxv] Dux quoque Godefridus et Boamundus, Flandrensisque comes, uenerunt usque ad Lichiam ciuitatem. Disseparauit enim se Boamundus ab eis, et reuersus est Antiochiam. Illi uero uenerunt, et obsederunt quandam urbem cui nomen Gibellum. Audiens itaque Raimundus comes de Sancto Egidio quod innumerabilis paganorum gens rueret super nos ad certum bellum, illico consilium habuit cum suis ut mandet senioribus qui sunt in obsidione Gibelli, quatinus eis subuenirent. Quod illi audientes, statim pacti sunt cum amiralio, facientes pacem cum eo, et acceperunt equos, et aurum; dimiseruntque urbem uenientes ad nos in adiutorium; sed illi non uenerunt ad bellum contra nos. Itaque comites predicti hospitati sunt ultra flumen, ibique obsederunt castrum illud.

Non multo post equitauerunt nostri contra Tripolim, inueneruntque extra ciuitatem Turcos, Arabes, et Saracenos, quos inuaserunt nostri, et miserunt eos in fugam; et occiderunt maximam partem nobilium urbis. Tanta fuit paganorum occisio, et sanguinis effusio, ut etiam aqua quae in ciuitate fluebat, uideretur rubere et fluere in cisternas eorum, unde ualde fuerunt tristes alii dolentesque. Iam uero erant tanto timore perterriti, ut nullus eorum auderet exire extra ciuitatis portam.

Alia uero die equitauerunt nostri ultra de Sem, et inuenerunt boues et oves et asinos, multaque animalia, camelos quoque depredati sunt fere tria milia. Obsedimus uero castrum supra dictum per tres menses, minus una die; ibique pascha Domini celebrauimus IIII idus Aprilis. Naves quippe nostrae uenerunt prope nos in quendam portum, quamdiu fuimus in illa obsidione deferentes maximum mercatum, scilicet frumentum, uinum et carnem et caseum, et ordeum, et oleum, unde maxima ubertas fuit in tota expeditione. In illa denique obsidione feliciter acceperunt martyrium plures ex nostris, uidelicet Anselmus de Riboatmont, Willelmus Picardus, et alii plures quos ignoro. Rex quoque Tripolis sepe nuntios mittebat senioribus ut dimitterent castrum, et cum eo concordarentur. Audientes itaque nostri hoc, scilicet dux Godefridus, et Raimundus comes Sancti Egidii, ac Rotbertus Normannus, Flandrensisque comes, uidentesque nouos fructus properasse, quia in medio Martio comedebamus nouellas fabas, medio quoque Aprili frumentum, consiliati sunt nostri dicentes, bonum ualde esse Hierosolitanum iter explere cum nouis fructibus.

[xxxvi] Discessimus igitur a castro, et peruenimus Tripolim in sexta feria, XIIIImo die

intrante Maio, ibique fuimus per tres dies. Tandem concordatus est rex Tripolis cum senioribus, illisque continuo dissoluit plus quam trecentos peregrinos, qui illic capti erant; deditque illis quindecim milia bisanteos, et quindecim equos magni precii. Dedit etiam nobis magnum mercatum equorum, asinorum, omniumque bonorum, unde nimis ditata est omnis Christi militia. Pactus est uero cum illis, quia si bellum quod eis amiralius Babiloniae parabat possent deuincere, et Hierusalem apprehendere, ille Christianus efficeretur, terramque ab eis recognosceret, atque tali modo factum est placitum.

Nos autem discessimus ab urbe in secunda feria mensis Maii, transiuimusque per uiam artam et arduam tota die et nocte et peruenimus ad castrum cui nomen Bethelon; deinde ad urbem quae dicitur Zebari securus mare, in qua passi sumus nimiam sitim, et sic defessi peruenimus ad flumen cui nomen Braym. Deinde transiuimus nocte ac die ascensionis Domini per montem, in quo est uia nimis angusta, et illic putauimus inimicos insidiantes nobis inuenire, sed Deo annuente nullus eorum audebat properare ante nos. Nostri denique milites precedentes nos liberauerunt ante nos uiam illam, et applicuimus ad ciuitatem iuxta mare quae dicitur Baruth, et inde uenimus ad aliam urbem quae uocatur Sagitta, dehinc ad aliam, quae dicitur Sur, et de Sur ad Acram ciuitatem. De Acra uero uenimus ad castrum cui nomen Cayphas, ac deinceps hospitati sumus iuxta Caesaream, ibique celebrauimus Pentecosten, tertia die exeunte Maio. Denique uenimus ad urbem Ramola, quam Saraceni dimiserant uacuam propter metum Francorum. Iuxta quam erat honorabilis ecclesia in qua requieuit preciosissimum sancti Georgii corpus, quia illic a perfidis paganis pro Christi nomine feliciter martyrium suscepit. Ibi consiliati sunt nostri maiores, ut illic eligerent episcopum, qui hanc custodiret et erigeret ecclesiam. Cui suas dederunt decimas, et auro argentoque ditauerunt, et equis ac animalibus aliis, quo deuote et honeste uiueret cum illis qui cum eo essent.

[xxxvii] Remansit ipse illic cum gaudio, nos autem letantes et exultantes, usque ad ciuitatem Hierusalem peruenimus feria tertia, VIII idus Iunii, eamque mirabiliter obsedimus. Rotbertus namque Normannus eam obsedit a septentrione, iuxta sancti Stephani prothomartyris ecclesiam, ubi lapidatus est pro nomine Christi. Iuxta Rotbertum Flandrensis comes. Ab occidente uero obsedit eam dux Godefridus et Tancredus. A meridie obsedit eam comes Sancti Egidii, scilicet in monte Sion circa ecclesiam sanctae Mariae matris Domini, ubi Dominus cum suis cenauit discipulis.

Tertia uero die ex nostris, scilicet Raimundus Pileatus et Raimundus de Taurina et alii plures causa preliandi sequestrauerunt se ab exercitu inueneruntque bis centum Arabes, et preliati sunt Christi milites contra illos incredulos; et Deo adiuuante fortiter illos superauerunt, et occiderunt multos ex eis, et apprehenderunt triginta equos. Secunda uero ueniente feria, aggredimur fortissime ciuitatem, tam mirabiliter, ut si scalae fuissent paratae, in nostra fuisse ciuitas manu. Tamen minorem strauimus murum, et unam scalam ereximus ad maiorem murum. Super quam ascendebant nostri milites, et comminus percutiebant Saracenos suis ensibus et lanceis, et defensores ciuitatis. Fueruntque mortui multi ex nostris, sed plures ex illis. In illa autem obsidione panes ad emendum inuenire non poteramus fere per spatium dierum decem, donec uenit nuntius nostrarum nauium. Et in nimia pressura sitis detenti fuimus, ita ut per nimium terrorem et pauorem per sex milia nostros

potaremus equos, et alia animalia. Syloa namque fons qui est ad radicem montis Syon, sustinebat nos; sed tamen cara uendebatur aqua inter nos.

Postquam enim uenit nuntius nostrarum nauium, acceperunt inter se nostri seniores consilium, quemadmodum mitterent milites qui fideliter custodirent homines et naues in portu Iaphie. Summo autem diluculo, exierunt centum milites de exercitu Raimundi, comitis Sancti Egidii, Raimundus Piletus et Achardus de Mommellou, et Willelmus de Sabra, et ibant cum fiducia ad portum. Diuiserunt denique se triginta milites ex nostris ab aliis, et inuenerunt septingentos Arabes et Turcos ac Saracenos de exercitu ammirauisi. Quos inuaserunt fortiter Christi milites, sed tam magna fuit uirtus illorum super nostros, ut undique circumcingerent illos. Et occiderunt Achardum de Mommellou, et pauperes homines pedites. Cum autem tenerent nostros iam inclusos, qui omnes putabant mori, uenit aliis quidam nuntius, dicens Raimundo Pileto: „Quid hic astas cum his militibus? Ecce omnes nostri in nimia districione Arabum et Turcorum ac Saracenorum sunt; et forsitan in hac hora omnes mortui sunt. Succurrite ergo illis, succurrite!” Audientes nostri haec, statim cucurrerunt celeri cursu, et festinanter peruererunt usque ad illos preliando. Paganorum uero gens uidens Christi milites, diuisit se; et fecerunt duo agmina. Nostri autem inuocato Christi nomine, tam acriter inuaserunt illos incredulos, ut quisque miles prosterneret suum; Videntes uero illi quod non possent stare ante Francorum fortitudinem, timore nimio perterriti, uerterunt scapulas retro. Quos nostri persequentes fere per spatia quatuor milium, occiderunt multos ex eis, unumque retinuerunt uiuum, qui noua eis per ordinem diceret; retinuerunt quoque centum et tres equos.

In eadem obsidione tanta oppressione sitis fuimus grauati, ut sueremus coria boum et bufalorum, in quibus deferebamus aquas fere per spatium sex miliariorum. Ex illis quippe uasculis foetida utebamur aqua, et quantum ex olida aqua et ordeaceo pane in nimia districione et afflictione eramus cotidie. Saraceni namque in cunctis fontibus et aquis latentes, insidiabantur nostris, eosque ubique occidebant et dilaniabant, animalia quoque secum in suas cauernas et speluncas deducebant.

[xxxviii] Tunc seniores nostri ordinauerunt quomodo ingeniare possent ciuitatem, ut ad adorandum nostri Salvatoris intrarent Sepulchrum. Feceruntque duo lignea castra, et alia plura machinamenta. Dux Godefridus suum fecit castrum cum machinis, et Raimundus comes similiter; quibus de longinquis terris attrahebant ligna. Saraceni igitur uidentes nostros facientes has machinas, mirabiliter muniebant ciuitatem, et tresses nocte accrescebant. Videntes autem nostri seniores ex qua parte esset ciuitas magis languida, illuc in quadam nocte sabbati deportauerunt nostram machinam et ligneum castrum in orientalem partem. Summo autem diluculo erexerunt ea, et aptauerunt et ornauerunt castrum, in prima et secunda ac tertia feria. Comes namque Sancti Egidii, a meridiana plaga reficiebat suam machinam. Interea in tanta pressura sitis filimus districti, ut unus homo non posset pro uno denario ad sufficientiam habere aquam, aut extinguere sitim suam.

Nocte uero ac die in quarta et quinta feria mirabiliter aggredimur ciuitatem, ex omni parte; sed antequam inuaderemus eam, ordinauerunt episcopi et sacerdotes predicando et commonendo omnes, ut processionem Deo in circuitu Hierusalem celebrarent, et orationes ac elemosinas et iejunia fideliter facerent. Sexta uero feria summo mane undique aggredimur urbem, et nichil ei nocere potuimus, eramusque

omnes stupefacti ac in nimio pauore. Appropinquante autem hora scilicet in qua Dominus noster Iesus Christus dignatus est pro nobis sufferre patibulum crucis, nostri milites fortiter pugnabant in castello, uidelicet dux Godefridus, et comes Eustachius frater eius. Tunc ascendit quidam miles ex nostris Laetholdus nomine super murum urbis. Mox uero ut ascendit, omnes defensores ciuitatis fungerunt per muros et per ciuitatem, nostrique subsecuti persequerantur eos occidendo et detruncando usque ad Templum Salomonis. Ibique talis occisio fuit, ut nostri in sanguine illorum pedes usque ad cauillas mitterent.

At Raimundus comes a meridie conduxit suum exercitum et castellum usque prope murum, sed inter castellum et murum erat quaedam fouea nimis profunda. Tunc consiliati sunt nostri ut implerent foueam, feceruntque preconari, ut si aliquis in illam foueam portasset tres petras, unum haberet denarium. Perdurauit uero haec impletio per tres dies et noctes. Tandem plena fouea conduxerunt castellum iuxta murum. Illi autem qui intus erant mirabiliter preliabantur cum nostris, igne et lapidibus. Audiens itaque comes quod Franci essent in urbe, suis dixit hominibus: „Quid tardatis? Ecce omnes Francigenae iam sunt in urbe.” Amiralius itaque qui erat in Turri David, reddidit se comiti, eique aperuit portam ubi peregrini persoluere solebant tributa. Intrantes autem nostri ciuitatem peregrini, persequerantur et occidebant Saracenos usque ad Templum Salomonis. In quo congregati, dederunt nostris maximum bellum per totum diem, ita ut sanguis illorum per totum templum flueret. Tandem superatis paganis, apprehenderunt nostri masculos et feminas sat in templo, et occiderunt quos uoluerunt, et quos uoluerunt retinuerunt uiuos. Super Templum uero Salomonis erat maxima paganorum congregatio utriusque sexus, quibus Taucredus et Gaston de Beert dederunt sua uexilla.

Mox cucurrerunt per uniuersam urbem, capientes aurum et argentum, equos et mulos, domosque plenas omnibus bonis. Venerunt autem omnes nostri gaudentes et prae nimio gudio plorantes ad nostri Salvatoris Iesu sepulchrum adorandum, et reddiderunt ei capitale debitum. Mane autem facto ascenderunt nostri caute supra tectum templi, et inuaserunt Saracenos masculos et feminas, decollantes eos nudis ensibus. Alli uero dabant se precipites e templo. Hoc uidens Tancredus iratus est nimis.

[xxxix] Tunc nostri tenuerunt concilium, ut unusquisque faceret elemosinas cum orationibus, quatinus sibi Deus eligeret quem uellet regnare super alios et regere ciuitatem. Iusserunt quoque Saracenos mortuos omnes eici foras, prae nimio foetore; quia omnis urbs fere plena erat illorum cadaueribus. Et uiui Saraceni trahebant mortuos ante portarum exitus, et ordinabant montes ex eis, quasi essent domos. Tales occisiones de paganorum gente nullus unquam audiuist nec uidit; quoniam pyrae erant ordinatae ex eis sicut metae, et nemo scit numerum eorum nisi solus Deus. Fecit uero comes Raimundus conduci amiralium et alios qui cum eo erant, usque Scalonam, sanos et illaos.

Octauo autem die quo ciuitas fuit capta, elegerunt ducem Godefridum principem ciuitatis, qui debellaret paganos et custodiret Christianos. Similiter elegerunt patriarcham sapientissimum et honorabilem uirum nomine Arnulfum, in die sancti Petri ad Vincula. Haec ciuitas fuit capta a Christianis Dei XV die Iulii, in sexta feria.

Interea nuntius uenit Tancredo et comiti Eustachio, ut prepararent se et pergerent ad

recipiendam Neopolitanam urbem. Exierunt illi et duxerunt secum multos milites et pedones, et peruererunt ad urbem. Habitatores vero illius reddiderunt se illico. Denuo mandauit illis dux, ut cito uenirent ad bellum quod nobis ammirauisus Babyloniae preparat urbi Scalonae. Illi autem festinando intrauerunt montaneam quaerentes Saracenorum bella, et uenerunt Caesaream. Itaque uenientes illi iuxta mare ad urbem Ramole, illic inuenerunt multos Arabes, qui precursores erant belli. Quos nostri persequentes, apprehenderunt plures ex eis, qui dixerunt omnia belli noua, ubi essent et quot essent, aut ubi bellare disponerent contra Christianos. Quod audiens Tancredus statim misit nuntium Hierusalem duci Godefrido et patriarchae, omnibusque principibus dicens: „Sciatis quod nobis paratum est bellum Scalonae, uenite ergo festinanter cum omni uirtute quam habere poteritis!" Tunc iussit dux summoneri omnes, ut fideliter irent preparati Scalonam, obuiam inimicis nostris. Ipse uero cum patriarcha et Rotberto Flandrensi comite exiuit de urbe in feria tertia, et Marturanensis episcopus cum eis. Comes uero Sancti Egidii ac Rotbertus Nortmannus dixerunt se non exituros, nisi certum bellum scirent. Iusserunt ergo militibus suis, ut pergerent uidere si bellum uere esset; et reueterentur quantocius, qui ipsi mox essent parati ire. Ierunt illi, uideruntque bellum, et cito renuntiauerunt se uidisse oculis suis. Continuo dux appreheenso Marturanensi episcopo, mandauit Hierusalem, quo milites qui ibi erant preparent se et ueniant ad bellum.

Quarta uero feria, illi principes exierunt, et militauerunt ad bellum. Episcopus uero Marturanensis rediit, reportans uerba missa patriarchae et duci, exieruntque Saraceni obuiam ei, et apprehensum secum duxerunt. Petrus uero Heremita remansit Hierusalem, ordinando et precipiendo Grecis et Latinis atque clericis, ut fideliter Deo processionem celebrarent, et orationes elemosinasque facerent, ut Deus populo suo uictoriam daret. Clerici et presbyten, induiti sacris uestibus ad Templum Domini conduxere processionem, missas et orationes decantantes, ut suum defenderet populum.

Denique patriarcha et episcopi aliique seniores congregati sunt ad flumen, quod est ex hac parte Scalonae. Illic multa animalia, boum, camelorum, ouium, atque omnium bonorum depredati sunt. Venerunt autem Arabes fere trecenti irrueruntque nostri super illos, et apprehenderunt duos ex eis, persequentes alios usque ad eorum exercitum. Sero autem facto, patriarcha fecit preconari per omnem hostem, ut in summo mane cras essent omnes parati ad bellum, excommunicans ne ullus homo intenderet ad ulla spolia donec bellum esset factum; sed eo facto reueterentur cum felici gaudio ad capiendum quicquid eis predestinatum esset a Domino.

Summo uero diluculo in sexta feria intrauerunt in uallem nimis puichram secus litus maris, in qua suas ordinauerunt acies. Dux instruxit suam aciem, et comes Nortmanniae suam, comes Sancti Egidii suam, comes Flandrensis suam, comes Eustachius suam, Tancredus et Gaston suam. Ordinauerunt quoque pedites et sagittarios qui precederent milites; et sic ordinauerunt omnia, statimque coeperunt militare in nomine domini Iesu Christi. In sinistra uero parte fuit dux Godefridus cum sua acie; comesque Sancti Egidii equitauit iuxta mare in dextera parte, comes Nortmanniae et comes Flandrensis et Tancredus omnesque alii equitabant in medio. Tunc nostri coeperunt paulatim ambulare. Pagani uero stabant parati ad bellum. Vnusquisque suum habebat uasculum pendens collo, ex quibus potarent persequentes

nos; sed illis non licuit, gratia Dei.

Comes autem de Nortmannia cernens ammirauissi stantarum habere quoddam pomum aureum in summitate hastae, quae erat cooperta argento, ruit uehementer super illum, eumque uulnerauit usque ad mortem. Ex alia parte, comes Flandrensis nimis acriter illos inuasit. Tancredus igitur impetum fecit per medium tentoriorum eorum. Quod uidentes pagani, continuo inierunt fugam. Paganorum multitudo erat innumerabilis, numerumque eorum nemo scit nisi solus Deus. Bella uero erant immensa; sed uirtus diuina comitabatur nobiscum tam magna, tam fortis, quod statim superauimus illos. Stabant autem inimici Dei excecati et stupefacti, ac uidentes Christi milites apertis oculis nil uidebant, et contra Christianos engere se non audebant, uirtute Dei tremefacti. Pro nimio timore ascendebant in arbores, in quibus putabant se abscondere; at nostri sagittando et cum lanceis et ensibus occidendo eos ad terram precipitabant. Alii autem iactabant se in terram, non audentes erigere se contra nos. Nostri igitur illos detruncabant, sicut aliquis detruncat animalia ad macellum. Comes Sancti Egidii iuxta mare occidit ex eis sine numero. Alii uero se precipitabant in mare, alii fugiebant huc illucque.

Veniens itaque ammirauissus ante ciuitatem, dolens et maerens, lacrimando dixit: „O deorum spiritus, quis unquam uidit uel audiuist talia? Tanta potestas, tanta uirtus, tanta militia quae nunquam ab ulla gente fuit superata, modo a tantilla gente Christianorum est deuicta! Heu mihi tristis ac dolens, quid amplius dicam? Superatus sum a gente mendica, inermi et pauperrima; quae non habet nisi saccum et peram. Ipsa modo persequitur gentem Aegiptiacam, quae illi plerumque suas largita est elemosinas, dum olim per omnem nostram patriam mendicarent. Huc conduxi ad conuentione ducenta milia militum, et uideo ipsos laxis frenis fugientes per uiam Babyloniam, et non audent reuerti aduersus gentem Francigenam. Iuro per Machumet et per omnia deorum numina, quod ulterius non retinebo milites conuentione aliqua, quia expulsus sum a gente aduena. Conduxi omnia armorum genera, et omnia machinamenta ut eos obsiderem in Hierusalem, et ipsi preuenerunt me ad bellum itinere dierum duorum. Heu michi, quid amplius dicam? Inhonoratus ero semper in terra Babilonica.“

Nostri autem acceperunt eius stantarum, quod comparauit comes de Nortmannia uiginti marchas argenti, et dedit patriarchae in Dei honorem Sanctique Sepulchri. Ensem uero emit quidam sexaginta bisanteis. Superati sunt itaque inimici nostri Deo annuente. Omnes naues terrarum paganorum ibi aderant. Homines uero qui intus erant, uidentes ammirauisum fugientem cum suo exercitu, statim suspenderunt uela, et impulerunt se in alta maria. Reuersi sunt nostri ad tentoria eorum, acceperuntque innumera spolia auri, argenti, omniumque bonorum; omniumque animalium genera, ac omnium armorum instrumenta. Quae uoluerunt asportarunt, reliqua igne consumpserunt.

Reuersi sunt nostri cum gaudio Hierusalem, deferentes secum omnia bona, quae illis erant necessaria. Hoc bellum actum est pridie idus Augusti, largiente haec domino nostro Iesu Christo, cui est honor et gloria nunc et semper et in secula seculorum. Dicat omnis spiritus: Amen.

INCIPIT DESCRIPTIO SANCTORVM LOCORVM HIERVSALEM

Si quis ab occidentalibus partibus Hierusalem adire uoluerit, solis ortum semper teneat, et Hierosolimitani loci oratoria ita inueniet, sicut hic notatur. In Hierusalem est cubiculum uno lapide coopertum, ubi Salomon Sapientiam scripsit. Et ibi inter templum et altare in marmore ante aram sanguis Zachariae fusus est. Inde non longe est lapis, ad quem per singulos annos Iudaei ueniuunt, et unguentes eum lamentantur, et sic cum gemitu redeunt. Ibi est domus Ezechiae regis ruda, cui ter quinos annos Deus addidit. Deinde est domus Caiphae, et columna ad quam Christus ligatus flagellis caesus fuit. Ad portam Neapolitanam est pretonum Pilati, ubi Christus a principibus sacerdotum iudicatus fuit. Inde non procul est Golgotha, id est caluariae locus, ubi Christus Dei filius crucifixus est, et ibi primus Adam sepultus fuit, ibique Abraham Deo sacrificauit. Inde quasi ad magni lapidis iactum uersus occidentem locus est ubi Ioseph ab Arimathia domini Iesu corpus sanctum sepeliuit; ibique est ecclesia a Constantino rege speciose fabricata. A monte Caluariae sunt XIII pedes usque ad medium mundum contra occidentem. A sinistra parte est carcer, ubi Christus fuit carceratus. In dextera parte sepulchri prope est monasterium Latinum in honore sanctae Mariae Virginis, ubi eiusdem domus fuit. Ibi altare est in eodem monasterio, ibique stabat Maria mater uirgo, et cum ea soror matris eius Maria Cleophe, et Maria Magdalene, flentes dolentesque in cruce positum Dominum uidentes. Ibi dixit Iesus matri: "Mulier, ecce filius tuus"; discipulo: „Ecce mater tua" Ab hoc loco quantum potest arcus bis mittere sagittam, in orientali parte est Templum Domini a Salomone factum, in quo a iusto Symone presentatus est Christus. In dextera parte huius templi, Salomon templum suum aedificauit, et inter utrumque templum porticum speciosam struxit columnis marmoreis. In sinistra parte probatica piscina est. Inde contra orientem quasi ad mille passus mons Oliueti conspicitur, ubi dominus Iesus ad patrem orauit dicens: "Pater, si fieri potest," et reliqua. Et in lapide Pater Noster scripsit; et inde ascendit in celum, dicens discipulis: „Ite docete omnes gentes," et reliqua. Inter Templum Domini et montem Oliueti est uallis Iosaphath, ubi uirgo Maria ab apostolis sepulta fuit. In qua ualle mundum iudicaturus ueniet Dominus. Ibi prope est uilla quae dicitur Gethsemani, ibique prope est ortus trans torrentem Cedron, ubi Iudas Iesum tradidit. Inde prope est sepulchrum Isaiae prophetae. Inde ad mille passus Bethania, ubi Lazarus quatriduanus resuscitatus est. In eadem parte contra Iericho ad milia XVIII est arbor sicomorus, in quam Zacheus ascendit, ut uideret Iesum. In alia parte ad mille passus de Iericho est fons Helisei, ab ipso benedictus commixtione salis. Inde ad V milia est fluuius Iordanis, in quo Dominus a Iohanne baptizatus est, ab Hierusalem distans VIII leugis. Inde non longe est mons unde Helias raptus est. A Iordane est uia XVIII dierum usque ad montem Synai; ubi Deus Moysi in igne rubi apparuit, eique legem dedit; ibique est ydria magna, quae indeficiens oleum parturit. Mons Thabor distat ab Hierusalem itinere trium dierum, ubi Dominus transfiguratus est. In cuius montis pede dicitur esse Galilea et mare Tyberiadis, quod non est mare sed stagnum de quo Iordanis egreditur. In dextera parte urbis Hierusalem contra meridiem extra murum quantum potest arcus iacere, est mons Syon; ibique est ecclesia a Salomone facta. Ibi Iesus caenauit cum discipulis ante passionem, ibique eos Spiritu Sancto repleuit; ibi etiam uirgo Maria migravit a saeculo, et spiritum reddidit, cuius corpus sanctissimum apostoli in uallem Iosaphat transtulerunt. In cuius montis pede contra meridiem est fons Syloa, subito egrediens e terra. Inde non longe est Sychem, ubi Ioseph ueniens

de ualle Ebron quaesiuit fratres. Ibi est uilla quam dedit Iacob Ioseph filio suo; ibique requiescit corpus eius. Inde ad mille passus est Sychar, ubi Dominus mulieri Samaritanae locutus est. Inde non longe est locus ubi luctatus est angelus cum Iacob. Ibi Bethleem est, ciuitas Dauid, ubi Christus natus est, distans ab Hierusalem quattuor milibus contra meridiem; ibique est ecclesia marmoreis columnis aedificata, in qua est locus ubi Christus natus est. Non procul hinc in dextera parte est Domini presepe. Inde ad XII milia est castellum Abraham, quod dicitur Tocor, ubi ipse Abraham et Isaac et Iacob sepulti sunt cum uxoribus suis. In sinistra parte est mons Dominus Vudit, ibique locus est ubi Abraham immolare filium uoluit.

Explicit Itinerarium Hierosolimitanorum.